PORTA. C. — MEDICINA BREVIS.

1688



The Library of the
Wellcome Institute for
the History of Medicine

MEDICAL SOCIETY
OF
LONDON
DEPOSIT

Accession Number

Press Mark

PORTA, C.

65702/A

IX 5

CASPARI PORTA,
Medicinæ Doctoris,

MEDICINA BREVIS,

Exhibens

Hominis Machinam, ejuſque Morbum, Morbique Curationem paucis iiſque ſelectis & rite paratis medicaminibus inſtituendam ad

Mentem Neotericorum.



LUGDUNI BATAVORUM,
Typis FREDERICI HAARING, 1688.

MEDICAL SOCIETY OF LONDON
ESTABLISHED 1773
1-3

BENEVOLO LECTORI.

Quicunque perpendet tot ſcripturientium hominum libidinem atque laſciviam, quæ totum eruditumque orbem quaſi contaminavit, non poteſt non tacita quadam nauſea affici, vel in odium adduci, vel irato animo in petulantiam illam invehere: Etenim multa magnaque volumina tot retro ſeculis accumulata & coacervata, paſſim inter homines verſantur, &, quod mireris, in hodiernum uſque diem atque horam prelo inſudare non ceſſat typographus. Mirum ergo non foret, ſi etiamnum Ego libellum hunc multorum judicio expoſiturus, invectivas odii & fervoris plenas pertimeſcerem. Verum Cogitavi ego mecum abuſum uſum non tollere, Proximoque eſſe inſerviendum:

Neque concludere mecum potui Petrus

vel Paulus librum vel libellum publico donavit, multorum iniquas animadverſiones atque cenſuras perpeſſus eſt: Ergo & me eadem fata manebunt. Forſan enim Petrus jure merito caſtigatur, ſi minus rideat ille iniquam rerum ſuarum æſtumatorem, vel eruditus ipſum orbis ridebit. Atque hoc animo indutus, hacque fiducia fretus in publicum prodire non abhorruit hic meus libellus. Breviter hic cuncta tractavi, quia tanto potius Lectori placiturum memet ſperavi. Oeconomiam animalem præprimis ſuccinctam exhibere conatus ſum, quia jam plurimi laudatiſſimique Autores illam ſatis ingenioſè prolixeque typis mandarunt. De Morborum vero origine ac cauſis alienam atque hactenus inuſitatam alo ſententiam, Una enim omnium mihi cauſa creditur: *in quam opinionem non quadam errandi vel peccandi*

laſcivia

laſcivia vel philautia, ſed multa meditatione & ratiocinatione adductus ſum, in aliorum verba neque jurans, neque meis nimium tribuens viribus. Circa Morborum Curationem, ut cuncta facili methodo, medicaminibus ſimpliciſſimis ac pauciſſimis peragerentur, operam maximè dedi, meæque experientiæ innixus ſingulorum doſes atque proceſſus ſimplici ſtylo conſcriptos annotavi.

Habes ergo B. L. editi hujus libelli rationes, & contenta ejus notabiliora, utere illo, ſi tibi prodeſſe quicquam poterit, ſin minus, animum, quem tibi inſerviendi habui, ne quæſo contemne; Vel forſan hic quædam continentur, quæ, quamvis primo intuitu palato tuo non omnino arrideant, iterum atque iterum meditata placebunt. Cæterum, niſi hæc eadem, quæ tibi jam offero, pro inaugurali themate conſcripta & publice ventilata

 fuiſſent,

fuiſſent, forſan nunquam lucem viſura eſſent: cui acceſſit quod ſæpuis aurem vellicante Bibliopola, ejus frequenti petitioni obſtare ulterius non potuerim, cogimur enim quandoque hominum iſtorum lucello ac commodo ſubſcribere. Interim tu non ingrato oculo quæſo aſpice quæ tibi offero, ſi qua bona ſunt lauda, ſi mala, corrige. Vale & fave.


TAbULA I
VI
a
B
c
VII
III
II
V
IIII
a
a
b
a I a
c
c
d
d
e
e
d
d
f
f

TABVLA II



CASPARI PORTA. M. D.

MEDICINA BREVIS.

Caput I.

DE HOMINE.

Homo, de cujus ſtructura nunc dicturus ſum, eſt machina hydraulico-pneumatica, id eſt, conſtat ex tubulis, tubulorumque tubulis, imò ipſe tubus eſt, in quo varii & toto cœlo à ſe invicem diſtincti reperiuntur liquores vel ſucci, omnes oriundi ab unico chylo, hic verò à cibo potuque ingeſtis: Hinc ordo me jubet ab ore incipere, utpote prima eſculentorum atque potulentorum officina: Etenim, quid obſtat, quin poſſimus Hominis ſtructuram concipere inſtar officinæ, vel magni laboratorii, in quo denuò aliæ officinæ continentur? Sic officina oris eſt pro terendis omnibus ingeſtis, ventriculi pro elaboratione chyli, hepatis ad conficiendam bilem, & ſic porrò de reliquis.

§. 1. Quid ſit Os, vix dici debet, cum nemo non ſciat, adeſſe ibi amplam quandam cavitatem, interius membrana obductam, quæ poſt-

 modum

modum anguſtior reddita faucibus obducendis inſervit; Adſunt porrò circumcirca numeroſæ glandulæ, quarum ſtructura ex uno aliquo tubulo in tortuoſos gyros circumducto conſtat: atqui hic glandulæ tubus aliquando ad ipſam oris cavitatem hiat; aliquando plures in unum aliquem & majorem ductum hiant, qui inde ductus ſalivalis vocatur, de quo vide Anatomicos. In medio hujus cavitatis ſita eſt lingua, quam dentes inferioris maxillæ, quæ mobilis eſt, & ſuperioris immobilis circumſepiunt; illa res ori ingeſtas quaquaverſum volutat, cantilenas & loquelas moderatur, ſaporeſque diſtinguit: hi allatos à linguâ cibos comminuunt, atque ſaliva permiſcent, quæ nihil aliud eſt, quam ſuccus, conſtans ex particulis aqueis viſcoſis & ſalſis, quas ipſi ſalivæ ineſſe nemo dubitat, cùm hoc experimentis comprobatum ſit, imò ipſa ſitis (quæ non eſt, niſi defectus humidi, & irritatio vaſorum à ſalſo ſalivæ ſale facta) hoc docet, utut lingua ſalſum illum ſalem ob conſuetudinem non animadvertat. Cibo atque, potu contrito, & ſaliva permixto ultimum in hac prima officina officium præſtat lingua, dum illum dentibus elapſum recipit; & ad æſophagum detrudit.

2. Eſt autem æſophagus nonniſi via à prima officina ad ſecundam, quæ eſt ipſe ventriculus, quod, ut commodè fieri poſſet, recta linea dependet à primâ officinâ, ſpithamam & ultra circaciter longus, tantæ latitudinis, ut pollicem

poſſ:

poſſis immittere, interius multis glandulis, lympham ſalſam ſtillantibus donatus, ne quicquam vehiculi acceſſuro cibo deeſſet: obductus quoque eſt limo, vel vernice, omnibus corporis tubulis communi, ut flexilis eſſet, neve bolo, vel eſculentis in prima officina, quandoque non benè elaboratis, viam occluderet: exterius pleuræ portione circumdatur, atque adeò hic canalis ex multis exiguis canaliculis conſtruitur modo jam dicto. Oeſophagus perforato diaphragmate ulterius dilatatur in ſaccum, quem ventriculum vocant & machinæ noſtræ culinam, cujus glanduloſa tunica cum latior ſit exterioribus membranis, in rugas abit: verſus œſophagùm os ejus ſuperius ſitum eſt, quod nervorum amplexu gaudet, ejus fundus paululum adſurgens & anguſtior factus os conſtituit inferius, dictum pylorus. Cibus atque potus huc delati concoquuntur, (ut dici conſuevit) i. e. ulterius & ulterius conteruntur, ad eliciendas particulas reſinoſas, quem in finem glandulæ interioris tunicæ perpetuò ſalſum evomunt menſtruum, quod tincturam illam elicit, quam Chylum vocamus: hoc autem opus multùm juvatur à vario ventriculi motu, quem partim debet reſpirationi; Hepar, lien, pancreas, hanc officinam perpetuis exhalationibus calidis fovent: ſunt &, qui calorem culinæ hic multum conducere putant; verùm novimus, & homines & bruta, qui nonniſi eſculentis frigidis veſcuntur, tamen æquè benè concoquere.

 3. Poſt-

3. Poſtquam chylus in ventriculo elaboratus eſt, moveri pergit ad inteſtina, in quo multum adjuvatur à motu inteſtinorum vermiformi, periſtaltico, & à motu in ventriculo ipſi impreſſo, imó chylus chylum à tergo pellit, propellitque. Verùm hic ipſi pergere ulterius non licet, quin pancreatis ſucco ſalſo permiſceatur, partim, ut commodius hæc ventriculi tinctura in lac abeat, partim, ut fiat fluidior, ideòque hæc officina non eſt, niſi congeries glandularum, ſalinum menſtruum ſtillantium quarum plurimæ in conſpicuum ductum hiant, qui Autoribus ductus Pancreaticus dicitur. Jam chylus ſucco illo pancreatis inſtructus ulterius movetur, imò vix movetur, quin ipſi ductus alterius officinæ prætereundus ſit, ſcilicet veſicula fellis, hic notabili ductu in inteſtina inſeritur, qui amaricans menſtruum pedetentim fundit, acceſſuro chylo admiſcendum, ut ipſo tanquam ſtimulante, & clyſtere naturali (ut quidam volunt) uteretur, neque hoc adeò abſonum videtur, cum purgantia utplurimum, ſi non ſemper, ſint amaricantia; & non raró alvi difficultatibus laborant, quibus bilis non liberè circulatur ad inteſtina. Chylus hoc modo præparatus varios inteſtinorum gyros ſequitur, & intera temporis ab hiantibus vaſis lacteis excipitur, quæ tantæ latitudinis ſunt, ut nonniſi ſatis fluida ricipiant, remanentibus fecibus craſſoribus, quæ præcipites per anum iter ſuum proſequuntur. Quod verò vaſa lactea gravia & craſſa non recipiant, experimento

mento conſtat: ſcilicet, exhibe cani aliquoties limaturam Martis, eſculentis admixtam, & aperto cane omnem limaturam ad inteſtinum rectum præcipitatam reperies, chylum verò, ut in cæteris animalibus planè albicantem in vaſis lacteis, certo indicio, limaturam Martis vaſa lactea non ſubintraſſe, etenim ſi intraret, tingeret, quod non fit, ergò non acceſſit. Antequam verò feces expellantur, ipſis prætereunda eſt valvula inteſtinalis, & appendicula vermiformis: hæc valvula impedimento eſt, ne alvi feces denuò ſurſum pellantur, aut ſi cacaturienti alvus non ſatis reſpondeat, pars fœcum intra appendiculam vermiformem adigitur, non, ut ibi moram trahat, aut ſingularem mutationem ſubeat; ſed, ne, dum urgetur alvus, valvula noxam trahat, ipſaque appendicula jam ſtercore plena & tenſa tantò arctiùs valvulæ conniventiam claudat: & hoc multum conducit ad faciliorem ſaburræ propulſionem: etenim, dum undique premitur, & valvula contrahitur, data per anum porta ruat oportet.

4. Totus hic tubus inteſtinalis, de quo hactenus locutus ſum, cum multò ſit longior diſtantia illa, quæ eſt inter os & anum, ne quaquaverſum volutaretur & contorqueretur, ſupra ventriculum recta dependet, infra illum meſenterio annectitur, quod, ut pro ligamento inteſtinorum inſervit, ſic vaſa lactea & lymphatica ſuſtinet, illa pro advehendo chylo, hæc ad diluendum chylum: eum in finem in ejus medio pancreas Aſellii ſitum

eſt,

eſt, conſtans ex cumulo glandularum àd ſeparandam & extillandam lympham.

5. Atque adeò chylus dilutior factus à vaſis lymphaticis & perpetuis vaporibus viſcerum circumjacentium, quaſi totidem balneis, aptus natus eſt ulterius moveri ad ejus receptaculum commune, quod ſitum eſt inter duos diaphragmatis proceſſus: hoc enim requirebatur; ut ſuccuſſo diaphragmate chylus quoque propelleretur ad ductum thoracicum, qui in homine ſub arteria magna, in brutis verò ad ejus latus juxta dorſum aſcendit, & in venam axillarem uno vel pluribus ramis inſeritur: cautum verò eſt multis valvulis, in hoc thoracico ductu reperiundis, ne chylus aſcendens relabi poſſet, in quo adjuvatur tàm ab in, quam exſpiratione: utraque enim continua preſſione huic ductui incumbunt. Protruſus ad venam axillarem chylus in mare rubrum microcoſmi demergitur, & per venam cavam progreditur ad cordis auriculam dextram, hinc ad ejuſdem dextrum ventriculum; in quo non poteſt non ſanguini intimiùs miſceri cum hic nunquam interruptus ſervetur motus tàm inteſtinus, quam progreſſivus: exinde non tàm excipitur, quam quidem urgetur in arteriam pulmonalem à valvulis ad orificium dextri ventriculi cordis impeditus, ne relabatur in auriculam: poſtquam autem arteriæ pulmonalis ramificationes trajecit, atque aëris ſubtilioribus particulis per pulmonum cellulas ſeparatis magis magiſque ſubactus & micantioris coloris

exiſtit,

exiſtit, redit per venam pulmonalem, & ſiniſtram ſubit auriculam, hinc cordis ſiniſtrum quoque thalamum, è quo propellitur in arteriam dictam magnam, mox ad omnes corporis partes devolvendus.

6. Ut autem ſanguis majore artificio per arteriæ magnæ truncum tàm aſcendentem, quam deſcendentem pergeret, cor (quod non eſt niſi muſculus oblongo rotundus pariete intergerino in partes duas diviſus) liquori ſubſalſo pericardii innatat, & perpetuis ſubſultibus tàm recipit, quàm expellit ſanguinem in arteriam, atque ideò pericardium in medio pectoris ſuſpenſum hæret, ut tantò liberior cordis eſſet palpitatio. Verùm difficultas oritur, cur cor ita perpetuò agitetur? Si dicas, à motu ſpirituum animalium, cur illi circulantur? Reſpondes à circulatione ſanguinis. At vero cur circulatur ſanguis? quia ipſi hic motus à ſanguine materno, dum infans adhuc in utero hæreret, eſt impreſſus. Quis verò ſanguinem matris in circulum ire juſſit, aut unde infans jam natus & à materna circulatione orbatus circulationem tamen patitur? Reſpondeo, quod reſpiratio & ventriculi concoctio hoc opus maximam partem abſolvant: etenim, dum reſpiramus, multum hauritur aëris intra pulmonum cellulas: hæ autem cellulæ ſe habent inſtar totidem antliarum pneumaticarum, quæ acceptum intra ſe aërem urgent in ſanguinem, qui per arteriæ pulmonalis ramificationes affluxerat, hinc ille non poteſt non propelli, ſin jam fiat in, ſive exſpiratio, premit tamen aer pondere ſuo

& vi

& vi elaſtica, quæ tanto major, quanto magis ille in ex & inſpiratione in anguſtiis verſatur. At verò, nonne jure merito dubitandam foret, hauſtum intra pulmones aërem ſanguini permixtum iri, atque potius motum inteſtinum excitaturum, quam progreſſivum? Hoc ſi fateri velis, innumera ſequerentur abſurda: nautis quacunque procelloſa tempeſtate Neptuni furor nunquam metuendus foret: omnis hydrotechne erroris plena rueret; neq; reſpirationis ullus in corpus noſtrum uſus redundaret: neque alium tibi fingere licet, etenim ſi putes te reſpirare, ut calefias, falleris, nam, utut caleas, tamen reſpirandum erit: ſin ſanguinis aliquod refrigerium tibi fingis, itidem falleris; nam & ipſi piſces, ſatis frigida animalia, reſpiratione indigent: an ob loquelam homo reſpirat? neque hoc, nam & bos, & ſus reſpirant, licet non loquantur. Circulatur ergò ſanguis, quia reſpiratur; atque nuper natus puerulus vivit, quoniam circulatur ſanguis, citculatur ipſi ſanguis, quia reſpirare cæpit, cæpit, autem reſpirare, quia uſumfructum maternæ reſpirationis ulterius ipſi capere non licuit. Ventriculi concoctio (de qua ſupra nemini) non proprie facit ad circulationem, ſed in tantum, quod perpetuò calidum, & ad circulandũ aptum præparet atque ſuggerat chylum; in ventriculo enim chylus perfici nequit, niſi calefiant ingeſta, & per conſequens non poteſt non chylus quacunque data via pergere, id eſt, circulationem incipere, quam reſpitatio promovet, atque abſolvit. Quæ, ſi cui dubia adhuc videantur,

experi-

experimenta adeat; capiat canem, & injecta denudatæ arteriæ aſperæ ligatura illum mox exſpirare videat: ſic moribundus canis inflato aëre denuò reviviſcit; animalia intra vitrum poſita exantlato aëre mox vita privantur. Cogitemus etiam, quot quantoſque morbos excitet vitioſi aëris in, & exſpiratio, & nullum amplius erit dubium, quin totum circulationis opus reſpirationi debeatur: æquè ac aquas in machinis hydraulicis ab aëre propelli, & per varios tubos circulari, certum eſt. Neque obſtat, quod cordis ſyſtole & diaſtole frequentiores ſint, quam in, & exſpiratio: Utut enim illa exiguum temporis ſuſpendatur, uſus tamen reſpirationis non tollitur: & in horologiis rotula una etſi decuplo citius circulum abſolvat alterâ, index tamen æquali paſſu circa axem vertitur, & idem etiam judicium eſto de machinis hydraulicis.

7. Dum ergò reſpiramus, ſanguis propellitur è cordis ſiniſtro ventriculo in arteriam, quæ, cum flexilis ſit, & à latiori cavitate pergat ad auguſtiorem, pulſus excitatur; ſecus ac in venis, ubi ab anguſto itur ad latius, atque ideò in his pulſus ſaltem ad tactum non animadvertitur, quamvis forſan omninò negari non poſſit.

8. Hac ratione ſanguis in arteriam propulſus partim per truncum aſcendentem, partim per deſcendentem labitur, & hinc varios itus redituſque patitur quorum proximus eſt per arteriam coronariam in ſubſtantiam cordis hinc redit per venam coronariam in cavam & cor, atque hic omnium

nium breviſſimus eſt circulus. Alter fit per arterias intercoſtales, reditque per venam dictam azygos, tertius per phrenicam ad diaphragma, unde mox relabitur ad cavam. Perforato autem diaphragmate arteria exurſgit cæliaca, quæ varios ramos de ſe ſpargit ad hepar, cyſtidem fellis, ventriculum, lienem, meſenterium, pancreas & inteſtina: hinc per totidem venarum ramos redit per venam portæ ad hepar, cavam, & cor. Infra cæliacam arteria prodit emulgens ad renum ſubſtantiam, & hinc per venam emulgentem in cavam ſanguis refluit. Non longe ab emulgente diſtat ſpermatica, quæ ſanguinem ducit ad teſtes, & in fœminis ad ovaria, quàm ſequuntur meſenterica, & lumbaris, quæ ſanguinem ad muſculos abdominis, femora &c. deducunt. Hæ deſcendentis arteriæ magnæ digreſſiones notabiliores ſunt, pars verò ſanguinis ſurſum fertur per aſcendentem, per bronchialem ad bronchia & pulmones, per axillarem ad axillas, per cervicalem & humerariam ad cervicem & humeros, per jugularia ad jugulum, & denique per vertebrales & carotides internas ad cerebrum, cerebellum, oculos, aures, nares, os totamque faciem.

9. Hactenus dixi ſanguinem circulari, ejuſque excurſus & recurſus conſpectiores annotavi; nunc quoque dicendum venit, cur, & unde calidus exiſtat. Certè dubium nullum eſt, infans tem, dum adhuc in utero hæreret, calidum ſuum ſanguinem à matre recepiſſe, poſtquam verò natus eſt infans,

innatus

innatus ipſi calor igne foci indumentis & tegumentis conſervatur: calidum ipſi eſculentum materna ubera porrigunt; atque hoc ventriculum ſubire non poteſt, quin ibi (ut ajunt) fermentetur, quamvis in ventriculo proprie loquendo fermentatio nulla detur: hæc enim ſi foret, metuendum, ne abſoluta illa fermentatione, ebrii evaderemus; tales enim inebriantes vapores & liquores fermentata exhibent, neque unquam expectandus foret chylus; ſed vini quoddam genus. Non autem poſſunt ingeſta illa in chylum faceſſere, niſi moveantur; motum autem ſequitur calor; & per conſequens calidus fit chylus, quo ipſo non parum ſanguinis calor conſervatur. Adde, tot heterogeneis particulis & ſanguinem & ingeſta conſtare, quæ cum perpetuo aër ſubtiliſſimus trajiciat, non poſſunt non incaleſcere; atq; hunc ventriculi calorem non leviter probant ardores illi, quos ſæpe in ventriculo patimur, ut & erumpens aliquando è faucibus flamma, & gravia illa ſymptomata, quæ frigidum cereviſiæ hauſtum non raro ſequuntur: quamvis eſculentorum & potulentorum caliditas hic parum ad rem faciat; non pauca enim animantia, utut frigidis veſcantur, tamen ſatis ſuperque calent; hic ergò potius heterogeneitas ingeſtorum aliquid confert, quam calor culinæ. Neque exercitia & corporis motiones hic multum contribuunt, niſi ſecundum magis & minus; non enim, qui exercitiis illis parum indulgent, ideò frigeſiunt, vel calorem ſanguinis perditum eunt.

10. Calor ergò ſanguinis utero, igni foci, aëri, atque ventriculo maximam partem debetur, imò non parum etiam humoribus, qui, poſtquam à ſanguine ſecreti erant, ad illum multum immutati redeunt, de quibus in ſequentibus. Calorem verò atque Circulationem ſanguinis facilè ſequitur Color; adeò ut ſanguificatio tantæ difficultatis non ſit ut plurimi ſibi perſuadent. Etenim, ſi calet, ſi circulatur; neceſſariò movetur, ſi movetur, particulæ ejus quoque ulterius teruntur, atteruntur que, figuræ mutantur, & per conſequens color rubeus, vel ſaltèm coloris mutatio exſurgit: id quod experimenta confirmant. Etenim ſpiritus vini cum ſale tartari in digeſtionem repoſitus rubeſcit: ſulphur cùm ſale tartari fuſum purpureum nanciſcitur colorem: arborum quarundam fructus poſtquam maturuere, rutilo colore fulgent, & his ſimilia multa.

11. Quemadmodum ventriculi concoctionem ſecretio, accretio atque excretio ſequitur, ſic ſanguis circulos ſuos abſolvere non poteſt, quin eadem, pro re nata & vaſorum conſtitutione evenire debeant. Scilicet ſanguis, qui per venas non refluit ad cor, arteriarum ramulos uſque & uſque poſequitur, donec ad hanc vel illam corporis officinam delatus ſit, unde pro ratione loci varii exinde liquores mediantibus glandulis ſecernuntur: Sic in cerebro ſpiritus, in hepate bilis, in pancreate ſuccus pancreaticus in glandulis oris, ductibus ſalivalibus, uvula, & amygdalis ſaliva elaboratur;

ratur: in meſenterio cumulus glandularum eſt-quæ lympham fundunt ad diluendum chylum, vel ad vaſa aperta ſervanda abſente chylo: œſophagus, ventriculus, inteſtina, & ſuas habent glandulas pro ſecernenda ſalſa lympha: ut & glandula, thymus pro chylo glutinoſo in ductu thoracico infantis diluendo (vel an pro pericardii ſero elaboarando inſervit?) Aſpera arteria, larinx & bronchia membrana obducuntur glanduloſa ad humectandam aëris viam: Vaſa quoque lymphatica non parum ex ditiſſimo illo promptuario hauriunt: & hæc maximam partem à ſanguine ſecernuntur, ut quaſi totidem rivuli in hunc oceanum denuò demergantur. Denique vix membrana aut pars corporis ulla eſt, quæ non ſuis glandulis donata ſit ad ſecernendam vernicem, qua interius corpus ubicunque, obductum eſt, ne tubuli facilè vim paterentur ab humoribus acribus, & toties alluentibus, æquè, ac ligna vernice obducta longius durant.

12. Alii humores ſecernuntur non, ut redeant ad ſanguinem, ſed ut excernantur: Sic in renibus ſecernitur urina; in teſtibus ſemen, in utero ſanguis menſtruus, in vaginæ glandulis lympha, in ovario ſuccus pro ovulis, in mammis lac, in glandulis ſubcutaneis ſudor tum ſenſilis, tum inſenſilis: Salivæ autem exſpuitio potius mala conſuetudo eſt, quam neceſſaria excretio, ut & lachrymarum profluvium imbecillitas eſt, narium verò mucus & aurium cerumen quamvis vitio evenire

videantur, neceſſariò tamen contingunt. Modus autem, quo hæc omnia mediantibus glandulis ſecernuntur fit per tubulos in gyros deductos juxta mentem & demonſtrationem Grafii; nihil enim obſtat, quin poſſimus hoc, quod ille in teſtibus demonſtravit, in aliis quoque glandulis concedere, cum modus tranſcolationis, (ut quidam volunt) plurimas difficultates hoc loco non diſcutiendas pariat.

13. Hæc hactenus dicta ſunt de illis, quæ ſecernuntur & excernuntur, nunc de accretione ſupereſt, ut pluſcula dicam. Accretio duplex eſt alia partium ſolidarum, alia fluidarum; Hæc multò major eſt illa, cum maxima corporis noſtri pars in fluido conſiſtat. Etenim, ſi omnem ſuccum, qui in intimis tubulis hæret & vernicem vel mucaginem, qua nullibi non corpus illitum eſt, ſuſtuleris, parùm reſtat ſolidi, uti patet iu chordarum confectione, ubi tot inteſtina adeò tenue filum exhibent: Sic ſi carnem, oſſa &c. deſtillationi tradas, exiguum capitis mortui remanet, reſpectu fluidi, quod inde elicitur. Partium ſolidarum accretio propriè nutritio dicitur, & in junioribus obſervatur, quamvis adultiores cum habitiores evadant, non ideò immeritò accreſcere & nutriri dicantut. Fit autem nutritio mediante chylo, qui ideò quotidiè novus elaboratur, ſanguinique miſcetur, & poſtquam ſatis circulando diviſus eſt, extrèma tubulorum ſubit, ibidemque agglutinatur, vel interſtitiis ſe inſinuat, tubuloſ-

que

que ulterius & ulterius extendit; atque hinc eſt, quod creſcentibus nobis nunquam non deſideratiſſimus ſit cibus: Hinc quoque eſt, quod cocta carne multum chyli in juſculo reperiatur: Sic in multa inedia chylus eſt, qui deficit, non verò ſanguis, cum hic ſatis ſuperque adſit: chylus ergò eſt, qui nutrit, non verò ſanguis, ut quidam volunt. Poſtquam verò infans, cui ſæpius & cibus facilè chyloſus exhibendus erat, in virum excreverit, corporiſque tubuli ulterius ſe nutriri non patiantur, ideò tantum victu utitur, ut illorum, quæ à ſanguine ſecreta excretaque erant, defectus reſarciatur, utque ſemen inde fiat ad generandum alium hominem idoneum: in ſequiori verò ſexu pars illa chyli, quæ olim nutritioni inſerviebat nunc inde ad ſororiantes mammas defertur, & teſtes muliebres; imò ipſe uterus in futuri forſan partus emolumentum tunc ſtatis quandoque temporibus ſanguis excretioni per propullulantes quaſdam arterias adſueſcit.

14. Verùm, ſufficiat hæc dixiſſe de ſanguinis ſecretis, excretis, & accretis, nunc juvat officinas illas paulò intimius rimari, in quibus tot & tàm diſtincti liquores elaborantur: inter hos verò non levem meretur admirationem ipſum hepar, viſcus, quod è regione ventriculi ſitum eſt, quem ut parte ſua concava reſpicit atque fovet, ſic viciſſim ab ipſo exhalationes calidas recipit: multo autem rubet ſanguine, qui prout ſuperius jam in-

dicavi, per venam portæ illic advehitur ab omento, ventriculo, pancreate, inteſtinis, meſenterio, liene & veſicula fellis refluus. Ea, qua ventriculum reſpicit parte concava, veſicula adhæreſcit hepati, maximè amaro ſucco impleta, quantòque magis adimpletur illa, tantò plus ad inteſtina defluit, pro chyli dilutione & fœcum ſtimulo. Modus, quo bilis elaboratur, fit per glandularum myriades in hepate exiſtentes: portione ſanguinis chyloſa, quæ in hepate tàm diu digeritur, atque circulatur, donec pars ſalina oleoſis prævaleat, & ſpiculis exſtantibus inſtar limæ linguam ferire, & amaroris ſenſum exhibere poſſit: Hanc verò ob cauſam ejus textura purgantibus valdè ſimilis eſt, ſpeciatim gummi guttæ atque aloes, excepto, quod fluidior ſit bilis ipſis purgantibus: in tubulis verò glandularum hepaticarum cauſa quærenda eſt, cur chylus in bilem convertatur; non alio modo, uti in vegetabilibus tot tamque diverſi generis fructus gigni ob meram tubulorum differentiam optimè annotavit Malpigius. Cum verò ſanguis perpetuò in circulum agatur, atque inde ejus particulæ magis magiſque atterantur, neceſſariò ſalia illa, quæ volatiliora ſunt, alta petunt, quæ verò minus volatilia ſunt, ad hepar devolvuntur, & lentâ circulatione continuò è ramoſorum brachiis extricantur: hinc fit, quod bilis multum ſalis in ſe contineat; quod neque alcali, neque acidum dici poteſt, ſed ſalſum, ſive ex acido & alcali conſtans (aliud enim ſal in corpore ſano ego ſaltèm

non

non agnoſco) quod & amara artificialia ſatis probant. Sic, ſi laminas veneris ſuſpenderis ſuper fumum ſulphuris, amariſſimus iſtarum laminarum erit ſapor: Sic amaricant cryſtalli Lunæ; fructus Coffee ſuper ignem toſtus potum exhibet amaricantem, & ſic in multis aliis.

15. Altera in corpore noſtro officina eſt pancreas, ſed ſuperius jam annotavi, non eſſe, niſi glandularum cumulum cum ſuis canaliculis, qui in ductum majorem abeunt Wirſungianum dictum, hinc profluit lympha ſalſa, ſed multum diſputatur, acidus an ſit hic liquor, an inſipidus: utrumque falſum eſt: merè enim acidi liquores in corpore ſano nullibi ſunt, qui verò ex ſapore tantum judicare conantur, parum cauti ſunt: ſalia enim ſæpè involuta jacent, & præterea omnes corporis liquores quamprimum aëri exponuntur, multum immutantur: Sic in Chymicis non raro obſervamus, liquores calidos planè alios edere effectus, præ frigidis; imò leviſſima circumſtantia hic mirum quantum variat rem, & nihil difficilius, quodque magis circumſpectione indiget, quam experimenta illa, quæ circa humores corporis noſtri ſuſcipiuntur.

16. Tertia in corpore noſtro elaboratio eſt pinguedinis, atque illa in omento, & ferè nullibi non in corpore perficitur: ſcilicet, quando oleoſæ chyli particulæ poſt multam circulationem & digeſtionem ſalibus intimius miſcentur: hinc inſtar ſaponis liquidioris ſe habent, qui paſſim muſculis interſpergitur, & omnia balſamicâ ſuâ conſiſtentia

flexibilia conſervat, ne ſalia facilè vim humano corpori inferre poſſent, quod, ut moveretur, atque moveret, factum eſt ordinatumque.

17. Quarta eſt urinæ elaboratio in officinâ renum, & fit per glandulas, quæ renum ſubſtantiam conſtituunt, & membranæ includuntur. Ipſa verò urina conſtat ex aquoſis oleoſis & ſalſis, de aquoſis nemo dubitat, oleoſæ quod adſint, deſtillatione manifeſtum fit, atque ita neceſſum erat, ut aquoſæ pro vehiculo ſalium inſervirent, oleoſæ verò ſalia involverent, ne vis renum glandulis fieret, quod quandoque fit in quibuſdam morbis, ubi urina nimis acris exiſtit. Sal urinæ ex acido & alcali conſtat, quod maximè probatur ex præcipitatione Mercurii, in aqua ſoluti, quæ, ſi cum urinâ fiat, ejuſdem coloris præcipitatum emergit, quam ſi aqua regis & ſpiritu ſalis ammoniaci invicem mixtis præcipitatio inſtituatur. Texturam ſuam urina debet conformationi tubulorum renalium: quod hinc eluceſcit, quod nullum liquorem facilius mediante ſyringa trajici renes permittant, quam quidem urinam excalefactam. Renum cauſa veſica cum ureteribus facta eſt, ut ſalſus ille liquor circulationis neceſſarium conſequens & corpori parum proficuus, foràs ejiceretur.

18. Urinæ non multùm abſimilis eſt ſudor tùm ſenſilis, tùm inſenſilis, qui per glandulas ſubcutaneas ſeparatur, & leves abit in auras: ipſe enim aër, qui inteſtino motu gaudet, & corpois peripheriam ambit, quaſi menſtruum aliquod ſub-

tiliſſi-

tiliſſimum, perpetuò recipit vapores illos è tubulis diaphoreticis exhalantes. Ex deſtillatione patet, ejus particulas urinæ multùm aſſimilari, modò, quod ſpiritus ſudoris propter minorem olei copiam non tantum ſpiret fætorem, quam ſpiritus urinæ. Ejus quantitas, quæ quotidiè excernitur, non pauca eſt, adeò ut juxta Sanctorii ſtaticam plus per ſuperficiem corporis exhalet, unius diei ſpatio, quam octiduo per alvum & urinam ſimul, quod, etſi dubium videatur, adeò tamen abſonum non eſt, ſi totam corporis ſuperficiem metiaris. Sola verò cutis cum ſuis glandulis & tubis diaphoreticis ſudoris & tranſpirationis organum exiſtit: etenim cum ubique per glandulas ſecretio fiat, & hæc ſufficere poſſit, neque aliam excogitare neceſſitas urgeat, dubitandi anſa facilè ſublata erit. Nam muſculi omneſque corporis partes cuti ſubjectæ ita membranis involvuntur, pinguedine & vernice obducuntur, imò tot flexuoſis & irretitis tubis muniuntur, ut aut nihil, aut ſubtiliſſima tantum corpora trajicere queant.

19. Ut homo ex homine fieret, partes genitales factæ ſunt, in viris teſtes ſcroto inhærentes; vaſa deferentia & ejaculatoria, veſiculæ ſeminales & penis: in alio ſexu uterus cum ſuis ligamentis, ovario: vagina & vulva. In illis ſemen continetur, quod ex ſanguine ab arteriis ſpermaticis allato ſecernitur, & poſtquam multos tubulorum gyros pampiniformes dictos ſubiit, pergit ad teſtes, glandulas duas oviformes infra abdomen in ſacco

quodam, ſcrotum dicto, propendentes: in his ſemen præparatur circulando per anfractuoſos tubos, indeque pergit per proſtatas & paraſtatas ad veſiculas ſeminales, unde in actu coitus emittitur in penem à ſpiritibus animalibus inflatum, hinc in uterum, vel ſaltèm ſpirituoſior ejus pars (ut quibuſdam placet) propellitur. Quando partium ſolidarum nutritio incipit imminui, quod decimo quarto, decimo quinto, & quandoque decimo ſexto ætatis anno contingere ſolet, ſemen augeri incipit, cujus materia in eunuchis ad habitum corporis defertur: in puellis verò anno duodecimo decimo tertio, decimo quarto mammæ turgeſcunt, ovula maturantur, & menſtruorum fluxus inſtat. Ipſa ſeminis ſubſtantia ferè incognita eſt, & quoad externum adſpectum albumen ovi mentitur. Conſtat autem, quantùm experimentis conjicere licet, ex oleoſis ſalſis & aquoſis: oleoſæ quod adſint, digitorum attritu conjicere licet; Sic enim glabrities quædam obſervatur inſtar ſaponis, deinde, ſi in vitrum aqua plenum inſtilletur, multis ſtriis ſe diffundit, pari ratione ac ſi lac in aquam ſtillatim effundas, quod, an oleoſas habeat particulas quis dubitaret? Viſcoſa verò alio experimento obſervantur, ſcilicet, ſi ſemini acetum calidè admiſcueris, abit hoc in craſſiuſculum coagulum: affuſo ſemini ſale volatili oleoſo facilè miſceri ſe patitur, æquè ac lac cum ſale volat. Oleoſo confuſum, adeò, ut vix lactis & ſeminis mixturam diſtinguere poſſis. Atque hoc experimento, ut

ut & guſtu facilè dignoſcitur falſum ipſi ſalem inhærere: de aquoſis autem ipſe oculus facilè judicat. Verùm duo miranda adhuc phœnomena in ſemine obſervantur, unum quod hic liquot diverſæ poſt ejaculationem ſit conſiſtentiæ: alterum, quod tenacioris ſit conſiſtentiæ, quando penem trajecit, fluidioris vero ſi per aliquod tempus aëri exponatur; cùm aliàs omnes corporis humores aëri expoſiti coagulentur & incraſſeſcant. Primum quod attinet, hinc fieri autumo, quod ſemen in veſiculis contentum craſſioris ſit texturæ propter moram, quam ibi traxit præ illo, quod à teſticulis in actu Venereo de novo affertur: Deinde cum obſervemus in partium genitalium titillatione gummoſum quandoque liquorem ante ſeminis etiam ejaculationem profluere, quid mirum, ſi hæc invicem mixta diverſæ conſiſtentiæ exhibeant ſemen? Quoad alterum phœnomenum judicare licet, quod ſeminis viſcoſæ particulæ, tanquam totidem vela à ſpiritibus animalibus expanſæ ſint, unde craſſiuſculum apparer primo ejaculationis tempore, poſtquam verò maxima horum ſpirituum pars aëra petiit, vela concidunt, & aquoſis liberior motus conceditur, & hinc fluidius ſemen conſpicitur.

20. Memoratu dignum eſt, quod Sanctorius annotat in ſua ſtatica, in viris ſingulis menſibus humores quoſdam accumulari, eoſque vel per alvum, vel urinam, vel ſudorem excerni, ſin ſecus, oriri morbum: Verùm in ſequiori ſexu magis

gis notabilis & nota eſt evacuatio, quæ fit per propullulantes quaſdam arterias, eamque menſtruam vocant, quia ſingulis ferè quatuor hebdomadis oriri ſolet, eo ſcilicet tempore, quando corporis nutritio incipit imminui (uti ſuperius jam dixi) unde fluxus illius cauſam facilè cognoſcere poſſumus, quantum enim decreſcit partium ſolidarum nutritio, tantum fluida accreſcunt, cùm verò fluida illa retrò moveri nequeant, mammæ fiunt turgidulæ, quæ cum ulterius extendi nequeant, ipſe circulationis impetus circa uterum impetuoſior redditur: Hinc arteriarum oſcula itetato affluxu elongata apertaque, ſanguinem evomunt menſtruum, quo elapſo, cum circulatio tanto impetu ac ante ulterius non valeat, arteriarum ramuli cum ſuis orificiis collabaſcunt, donec ſanguis temporis tractu tantum denuò accreverit, tantoque impetu valeat, ut arterias iterum aperire poſſit, quæ illi excretioni tandem adſueſcunt, donec ipſa circulatio langueſcere incipiat, quod anno ætatis quinquageſimo fieri ſolet. Atque hæc menſtrua evacuatio neceſſariò fieri debebat, ut tantò facilius hepar uterinum confici poſſet, quo mediante fœtus materni ſanguinis ejuſque circulationis particeps fit. Cum verò dies ſint atque noctes, hyems & æſtas, ſerenum & nubilum cœlium, accreſcat & decreſcat Luna, varia in ſublunaribus phœnomena apparent: Sic flores quoſdam de die explicatos ſub veſperam atque noctem clauſos videas, vireſcunt & fructus ferunt vegetabilia æſtivo, ſte-

rileſcunt

rileſcunt hyberno tempore: Podagricum ver vexat atque autumnus, de die ſcorbuticus benè habet qui noctis ſæpe injurias experitur: creſcunt & decreſcunt cum Luna quandoque tumores: quibus amputatus pes, aut fractum olim brachium, vel læſum cranium, non rarò aëris mutationes prædicere valent: adeò, ut mirum non ſit, ſi temporum viciſſitudines ad menſium fluxum quicquam conferant: cui forſan in viris nocturna pollutio oppoſita eſt & ſubordinata.

21. Prout ſemen à ſanguine ſecernitur, ut denuò excernatur, ſic quoque lac à ſanguine ſecernitur per glandulas, quæ in ſuperiore pectoris parte in duos cumulos coacervatæ propendent, & & multa pinguedine interſperſæ atque cute circumductæ mammæ dicuntur: in eminentiori parte papilla eſt, ideò facta, ut lac in glandulis præparatum reciperet, & partui præberet. Excernitur autem lac copiosè admodum poſtquam partum ſuum enixa eſt mulier, ſcilicet, ut hinc vitam ſuſtentaret tenella proles, quæ, cum in utero adſueta eſſet chylo nutriri, nunc ex lacte calido, quod à chylo non multum abludit, alimoniam capere debet. At verò non eſt quod magis mireris, à rubicundo ſanguine adeò albicans ſeparari lac, quam amaram bilem, flavam urinam, pallidum ſemen &c. hæc enim cuncta à diverſa tubulorum figura & conformatione digeſtione & mixtura ortum trahunt. Neque hoc loco lactis deſcriptionem quoad ejus texturam, quiſquam expectabit, cum

cum hoc à ruſticis optimè addiſcere poſſimus; quando oleoſum inde butyrum, viſcidum caſeum, & ſalſam aquam ſeparant.

22. Præter hactenus enumeratas officinas, & hinc profluentes humores alia adhuc eſt pro elaborandis ſpiritibus, vel, ut quibuſdam placet, ſucco nervoſo: elaboratur autem ille in cerebro, quod in ſuprema ſtatuæ humanæ parte ſitum eſt, & oſſeâ theca incluſum hæret: diviſum hoc eſt in duo hæmiſphæria, quæ in ſe quodammodò revoluta ventriculos vel cavitates quaſdam exhibent: exterius cineritii eſt coloris, interius verò albicantis; anterius nervi exſurgunt pro vehendis ſpiritibus elaboratis ad ſenſuum organa, poſterius ipſi cerebellum adhæret, cum ſpinali medulla per longitudinem dorſi excurrens, unde multi nervi lateraliter eunt ad totum corpus. Subſtantia ejus qualis ſit diſputant inter ſe Autores, ego verò facilè ab illorum parte ſtabo, qui illud ex myriadibus glandularum conſtare autumant, & quidem ob rationes in antecedentibus jam allatas, ubi de glandulis hepatis, renum, teſtium &c. locutus ſum. Magis adhuc varia eſt Autorum opinio de ipſa ſpirituum textura, verùm difficile quoque hic eſt certi quicquam ſupponere: licet enim noverim, illos ex ſubtilioribus & admodum fluidis particulis conſtare, hoc tamen generale nimis eſt, neque certi quicquam dicit: Cum verò ſanguinis textura magis nota nobis ſit, & facilius experimentis tentari poſſit, hinc conjecturare quodammodò

modò poſſumus ex iiſdem, ex quibus ſanguis, ſed quam optimè attritis & diviſis particulis conſtare ſuccum nervoſum: an verò plus minus ſalſus ſit, an oleoſus magis & aquoſus, non niſi conjecturando concludere licet. Ut autem à ſanguine adeò utiles & neceſſarii ſpiritus ſecernerentur, arteriæ carotides & vertebrales ipſum continuò advehunt, qui verò craſſior eſt, quam quod in ſpiritus converti poſſit, per ſinum falciformem redit ad venas jugulares, cavam & cor. Quemadmodum autem ſanguis, quouſque vivit homo, periodos ſuas abſolvit, accreſcit à chylo quotidie de novo accedente, decreſcit ob multifarias ſecretiones atque exhalationes; ſic quantùm ego ſaltem autumno, par ratio eſt cum ſucco nervoſo: etenim cum omnes conſentiant, ipſum motu pollere velociſſimò, inteſtino atque progreſſivo (neque enim aliter machina hominis tot actiones edere poſſet) non video cur circulum ipſi denegare velimus, præprimis, cùm ſatis difficulter concipere valeam, tremulum illum nervorum motum, quem plurimi ſtatuunt, ut & undulationem illam, quam ſibi finxit argutus Bontekoe, ad explicandum ſenſuum exercitium. Supponamus ergò, vel concipiamus nobis ſpiritus in circulum ferri intra ſuos tubulos, pars illorum totum corpus trajiciat & membranas muſculoſque extendat, hincque evaporet: alia pars ſenſuum organa perpetuò ſubeat, redeatque, non qua acceſſit, ſed per aliam viam, ad cerebrum, quod ſpiritibus idem erit, quod

ſanguini

ſanguini cor. Hoc ſuppoſito, non difficilè erit meo ſaltem calculo ſenſuum exercitium, ſomnum, vigilias, aliaque phœnomena, quæ ſucci nervoſi circulationem neceſſariò ſequuntur, explicare ac detegere. Sed hoc loco nihil de ſenſibus dicturus ſum, quorum antiqui quinque, Bontekoe octo numerat addendo tres, ſcilicet voluptatem coitus in partibus genitalibus, ſitim in ore, famen in ſtomacho: an jure meritò æquus Lector judicet, quod me attinet, facilè hoc novaturienti cuidam concedere poſſem, &, ſi adhuc plures ſibi fingere geſtiret, modò hypotheſes ſufficiant pro explicandis rerum phœnomenis.

Plura adhuc ſunt, de quibus dicendum foret, ut de muſculis, oſſibus, fœtu, anima, ejuſque aliqua vel nulla connexione cum corpore, paſſionibus &c. Sed quoniam hæc extra ſcopum meum ſunt, abſque multis ambagibus ipſe mihi ſilentium impono: atque adeò nequicquam dicere volui de illis, quæ Chirurgiam quodammodò ſaltèm concernunt: de fluidis enim humani corporis diſſerere propriè animus fuit, quod, an hactenus dextrè, an ſiniſtrè factum ſit, Tu judica, & in ſequenti capite morborum cauſas æquo animo expecta, & tandem in tertio ſimplicem medendi methodum cum medicamentorum ſelectione, & compendioſa præparatione.

Caput II.

De
MORBO HOMINIS.

§. 1. Quando dicimus aliquem ægrotare vel morbo laborare, intelligimus, quod vel ſolida, vel fluida (ex illis enim totus homo conſtat) illegitimo modo ſint conſtituta: illa verò mala conſtitutio multifaria eſt, & modò majorem modò minorem cauſam agnoſcit: ſolida, id eſt, canales, tubuli vel vaſa, in quocunque corporis loco ſita, laborare dicuntur, quando lacera vel rupta ſunt, ut humores effluant, & tubulorum interſtitia ſubintrent, quale quid in hydrope contingit: vel, quando indureſcunt, & juſtò rigidiores fiunt, ut evenit in ſeneſcentibus: vel, quando nimium extendi ſe patiuntur, ut in herniis, procidentiis & viſceribus internis in horrendam quandoque molem excretis animadvertitur. Verùm hæc cuncta ferè fluidarum perverſam diſpoſitionem arguunt; tubuli enim per ſe, niſi ab extra, fato, quod dicunt, vel ex malitia, aut imprudentiâ lædantur, interius læſionis aliam non agnoſcunt cauſam, niſi malam partium fluidarum conſtitutionem.

2. Hæc autem conſtitutio, prout varia admodum eſt, ſic gradu quandoque diſtinguitur; imo quot diverſi & diſtincti à ſe invicem liquores in

humano corpore exiſtunt, tot modis imo pluribus illam experimur: hinc paſſim inter Medicos morborum catalogus in magnam & abominandam molem excrevit, adeò, ut difficilius ferè ſit, hoſce catalogos & tot artis terminos addiſcere, quam quidem tantoperè neceſſariam medendi methodum. A fluidis ergo, id eſt, à ſuccis, liquoribus, vel humoribus humani corporis morbus oritur, quando illi incraſſantur, & viſcoſiores redduntur, unde ratione loci, in quo hæc incraſſatio fit, & pro viſcoſitatis gradu varii oriuntur morbi. Porrò, ſi humores fiant ſalſi, vel vermibus ſcateant, vel aceſcant, vel in putredinem abeant, ſtagnent, coagulentur aut concreſcant in lapides, tophos, tartarum, alius atque alius morbus exurgit.

3. Verùm, cum hæc jam enarrata in ſanguine atque humoribus evenire non poſſint, quin antecedanea quædam ſupponatur cauſa, quæſtio ſuboritur, qualis illa ſit? Reſpondeo, quod Autores hic in diverſas admodum eant ſententias, Helmontius fictis omninò & ignotis terminis utitur, quod ridiculum: Sylvius acidum accuſavit atque bilem, quod eſt ſuppoſitum impoſſibile & inſufficiens ad explicanda phænomena morborum: Etenim ubique locorum humani corporis bilem atque ſuccum pancreaticum collocare, hinc effervescentias deducere velle, & per conſequens morbos, rationi, anatomiæ & circulationi planè contrariatur. Neoterici obſtructiones accuſant, æthe-res peregrinos, coagulationes, viſciditates, flatus

tus, turbataſque ſanguinis mixturas: verùm hic non quæritur, qualis ſecundaria cauſa, ſed quæ indifferens ſit, quæ poſſit coagulare, obſtruere, ætherem alienum adducere, flatus excitare, & mixturas turbatas reddere. An oleoſa & pinguia? Nequaquam, illa enim viſcida, coagulata & indurata leniunt, diſſolvunt, & flexilem ubique conſervant machinam, quid quod maxima pars humorum oleoſa admodum ſit, neque vulgariter & quotidiè in tanta copia ab hominibus adſumuntur, vel adſumi poſſunt, ut tot morbi exinde generentur. An ergò aquoſa? Neque hæc. Humidum enim, qua humidum non nocet, imò potius totum animale & vegetabile regnum ſine illis vitam ſuam vivere non poteſt: Neque etiam terreſtria ſupra recenſitas morborum cauſas producere valent, illa enim vaſa lactea ſubire non poſſunt, neque nobis in tanto uſu ſunt, cum nullæ deliciæ ab illis expectandæ veniant: id quod etiam dicendum venit de ſalibus alcalinis fixis & volatilibus: neminem enim facilè tam ſtolidum vidi, qui hæc ſalia in magna copia hauriret, ut morbum conſequatur, imò, ſi recordemur, ipſa alcalina fixa lympham (quæ ſemper in copia in corpore noſtro exiſtit) patulo & hiante quaſi ore bibere, eò ipſo vehiculum ſibi parant, quo mediante per diureſin vel diaphoreſin extra corpus propelluntur: alcali verò volatile, eo ipſo, quod eſt volatile, facilè corpus noſtrum trajicit, atque ideò noxam inferre non poteſt; vel, ſi hoc non foret, certè ex qua-

vis celeriore ſanguinis circulatione (illam enim alcalina volatilia efficiunt) metuendum foret, ne nimium diviſus ſanguis vaſa ſubintret, per quæ circulari neſcius obſtructiones morboſque efficeret, cujus tamen contrarium experientia teſtatur, imò, (Deum teſtor) diverſis vicibus boni ſpiritus ſalis ammoniaci totam unciam adſumſi abſque ulla tamen noxa: hinc Tu judica, Amice Lector, an alcalina volatilia tàm malæ notæ ſint, ut quibuſdam audiunt, quando peſtes & febres ardentes inde ortum trahere autumant, quos tamen morbos ipſis ſalibus alcalinis volatilibus auferre ſatagunt.

4. Alia ergò cauſa quærenda nobis, quæ ſupra dicta morborum genera producere poſſit, atque hæc alia non eſt, niſi à ſale acido, quorſum etiam ſalſa ſpectant, quæ ex acido & alcali conſtant; Denique morbus oritur etiam vel à fato, vel malitia, vel imprudentia. Sed de his hic non dicendi locus.

5. Quod ſi cui dubium aut impoſſibile videatur, ipſum rogatum vellem, ut tot ſeculorum experientiam Anatomicam Chymicam atque Practicam non obiter tantum ſecum perpendat. Unde enim in diſſectis cadaveribus toties corroſa & conſciſſa viſcera atque vaſa, ſanguis coagulatus, lapides, arenulæ, ſimiliaque ſalis acidi indicia animadvertuntur? Unde halitus, ructus & vomitus acidiſſimi, urina adeò acris, ut ipſum urinale corrodat? Quot non maligna ſæpè ulcera videre

licet,

licet, quæ omnem circumjectam carnem quaſi cultellis conſcindunt? Omnis autem Chymia hoc ferè tantùm innuere videtur, ut acidum medicamentorum vel figat, vel edulcorando auferat, vel igne expellat: hinc Chymiſta ſulphuris acidum ſale alcali præcipitat, in antimonio ſi quid acidi ſuperabundet, detonatione vel toſtione tollit, nitrum carbone addito figit, tartarum comburit in ſal fixum, Mercurium ſublimatum addito denuò Mercurio mitigat, ſpiritum vini per cineres clavellatos præcipitat, & poſtea ſpiritu ſalis ammoniaci temperat, ſpiritum nitri ſpiritu vini edulcorat. Atque hinc eſt, quod Sylvius adeò celebris ſui temporis Practicus fuerit, alcalina enim ſemper in uſum vocabat, &, ſi ita lubet, evolvas quæſo Practicorum feliciſſimorum atque famoſiſſimorum volumina, & præprimis obſervationes fide dignas, & nullibi non animadvertes, in omni propemodum morbo acidum oppugnatum eſſe.

6. Aut, ſi quis ſit, qui forſan oleum vitrioli aut ſulphuris in auxilium vocet, proh! quam cautè, quamque paucas & parcas guttulas exhibet: hinc receptis illis ordinariò annexum reperies *ad gratiam aciditatem*. Neque audent largo hauſtu exhibere, quod tamen laudant medicamen, hinc parum recipiunt de uno, parum de altero, & adhuc parum de tertio & quarto, ne nihil feciſſe videantur, vel, ſi non proſint, ſaltem non obſint: quandoque viſcoſa, oleoſa, terreſtria & al-

calina non raro ſuis mixturis addunt, atque ſic acidorum vis infringitur, ut malum medicamentum quandoque bonus ſequatur effectus, ſic morbus quoque ab acido proveniens non raro ipſis acidis curatur, ſi ſcilicet forte fortuna diureſis ſuperaccedat, vel, ſi acidum morbi fuerit levius illo, quod fuit in medicamento: ſalia enim graviora præcipitant leviora, quemadmodum hoc in Chymicis docemur.

7. Sunt vero non pauci, qui mirantur, quod auſim ex uno & ſimplici ſuppoſito tot morborum phœnomena explicare, quæ ſibi invicem quandoque planè contradicere videantur: verum his ſingulis propinabo vini generoſi bonam quantitatem, & vix mirabuntur ulterius, ubi ab uno eodemque vino alios ſaltare, canere, triſtari, alios iraſci, laſcivire, dolere, ingenuè loqui, ſimiliaque animadvertent. Nec etiam ſupponendo acidum generalem quaſi morborum cauſam, neceſſario etiam ſuppono, illud ſemper & ubique unum idemque exiſtere; Sunt enim acida alia aliis magis corroſiva, volatiliora vel fixiora, quandoque pauca, quandoque multa adſunt, quandoque ramoſorum & viſcidorum amplexibus obſequuntur, atque hinc plus minus humores incraſſantur, qui cum anguſtiores tubulos trajicere non poſſint, circulatio impeditur, & morbus oritur. Id quod ſi eveniat in cavitatibus quibuſdam, vel tubulorum interſtitiis, digeſti humores tractu temporis in ſcirrhos abeunt, vel coagulati & ſtagnantes aceſcunt,

vel

vel putreſcunt, vel lapillus accreſcit, qui inde juxta obſervationes anatomicas modo in ipſis inteſtinis, veſicula fellis, ductu pancreatico, renum pelvi, ventriculis cerebri, pulmonum cellulis, & intra oſſium juncturas plus minus durus aut friabilis reperitur. Sic acidis quandoque fluida pro vehiculo inſerviunt, unde totius corporis intemperies ſæpe ortum ducit, aut cachexia oritur, aut ſcabies, aut ſaliva incraſſatur, vel aphthæ fiunt, vel puſtulæ, purgationes criticæ, ut & diureſes, diaphoreſes & vomitus. Quandoque etiam acida ad poroſa corpora devoluta in illorum latibulis ſe abſcondunt, è quibus aliquando ob exterius accedentes cauſas ſubitò proſiliunt, & momentaneos morbos efficiunt: adeòque, prout variant hæ circumſtantiæ, varia ſequuntur effecta ſimplicem cauſam, non aliter, ac unicum aliquod & ſimpliciſſimum inſtrumentum aliter atque aliter manu artificis adhibitum, modò hanc modò illam figuram ob oculos ponit, ut taceam tot vegetabilia mille inter ſe figuris & coloribus diſtincta, ab uno eodemque ſale terræ produci & ſuſtentari. Quod ſi etiam humana corpora reſpicere velimus, in quibus hæc acida tragœdias ſuas exercent, res tantò evadet clarior: nam non omnium par educationis ratio eſt, non una omnibus vivendi methodus, varia hominum pathemata, variùs locus natalis, hinc inter tot millia hominum vix duos ejuſdem conſtitutionis invenies, imò totum animale & vegetabile regnum differentias has expe-

ritur teſtaturque, &, in quo rerum cardo vertitur, ſunt in uno eodemque homine tot diverſi tubuli, & hinc enati humores planè à ſe invicem diſtincti, ut capite primo jam vidimus. Ergò unum idemque acidum, quod in tubo inteſtinali produceret diarrhæam, dyſenteriam, in ventriculo nauſeam, vomitus, flatus, in meſenterio obſtructiones, in hepate bilis ſuſpenſam elaborarionem, hinc alvi difficultates vel icterum, in renibus & cavitatibus calculos & tartara, in membranis inflammationes, in venis febres, in nervis & cerebro convulſiones & affectus ſoporoſos, in lymphaticis hydropem efficeret: adeò, ut non plus mirari deceat ab uno eodemque igne tàm varia oriri phœnomena in rebus Chymicis, quam ab uno ſale acido tantam morborum ſeriem propullulare.

8. Huc quoque ſpectat argumentum à morbis artificialibus deſumptum, ejuſque generis quicquam in ſalivatione evenit: etenim cum eo in caſu ſanguis admodum corroſivus fiat, præprimis, ſi nimius inſtituatur ptyaliſmus, omnium propemodum morborum phœnomena obſervare licet, cujus exemplum vide in Ephem. Germ. Ann. 1. obſ. 80. Neque latet hoc plurimos Chirurgos & Medicos, qui in morbo Gallico curando operam navant.

9. Præter hæc hodierna vivendi ratio ſuadet veritatem ſuppoſiti mei: in omni victu enim, quem quotidiè ingerimus, acidum præprimis

eminet,

eminet, ut in omnibus fermentatis, quæ ſtudio & amanter haurimus, omnia vini genera, cereviſiæ, ſpiritus per fermentationem parati, ipſe panis omninò fermentatur, & ideò ferè omnibus laudabilis exiſtit: vegetabilia ſale condimus, piſces rarò abſq; aceto adſumimus, carnes ſale ſalſo, quod multum acidi in ſe continet, interſperſæ adſervantur, vel ſaltem, ſi delicatiores ſimus, recenter aſſantur, vel fumo indurantur, ut, ſi quid forſan boni ſucci ineſſet, hiſce menſtruis omninò eliceretur atque auras peteret: ſic quoque, quando digeſta fuerit caro in menſtruo aquæ ipſam tincturam, ſive juſculum vilipendimus contenti exſucco & exſangui capite mortuo. Aliam certè vitam egerunt majores noſtri, quos hæ eſculentorum præparationes planè latebant, & hodienum homines, qui deſerta loca colunt, ut & plurima bruta, quæ tot morbis obnoxia non viſuntur, & pluribus paſſim annis atque robore valent, ac nos, cum ſimpliciſſimo tantum victu utantur.

10. Neque ſola eſt diæta, quæ humores corporis noſtri ad ſalſedinem vel acrimoniam diſponit, ſed animi pathemata, motus & quies, omneſq; res nonnaturales ſic dictæ hoc ſaltèm intendere videntur, ut circulatio ſanguinis atque humorum vel turbetur, vel retardetur, vel plane impediatur: imò ipſe aër, ſol, ignis foci atque aqua: utut ſimpliciſſima videantur, jure tamen merito acida effluvia ad corpus noſtrum

advehere dicuntur: etenim cuprum aëri libero expoſitum non cæruleſcit, quemadmodum evenit mediante ſale alcalino, ſed virideſcit, ut ſolet ab acido: ſol verò vitro uſtorio collectus ignem exhibet, ignem verò in acido ſale, vel magis proprie ſalſo conſiſtere, phœnomena hinc producta probant, & experimento edocti novimus, omnia ſalia alcalina ignis actionem ſupprimere: ſic cum aqua temporis tractu duriſſima etiam ligna corrodat, conjicere facile licet, & illam acido non carere: quamvis equidem hæc ſalia non tantam nobis noxam inferant, quæ facile animadverti queat brevi, ſed forſan temporis tractu accedente tantum levi cauſa, qua ſalia hæc extricati modo poſſint, hinc malum malo additum tantò redditur majus, quid verò hæc effluvia in aëre & aliis corporibus extra nos poſitis contenta efficere poſſint, ipſa febrium malignarum & peſtis genera, ut & morbi à contagio, uti dicunt, non leviter arguunt.

11. His ergò ita poſitis & revera ita ſe habentibus. audacter affirmare & defendere poſſum, omnem morbum oriri vel à ſale vel fato, vel malitia, vel imprudentia; de priori autem genere (cum poſterius non ſit hujus loci) dictum eſt: adeò ut ſal hic conſiderandum ſit quandoque tanquam indifferens, quandoque tanquam media quædam cauſa, reſpectu habito ad res nonnaturales & corpora extra nos poſita, quæ illud continuò advehunt machinæ noſtræ, & reſpectu morborum,

borum, quorum cauſa efficiens ſal acidum exiſtit, atque hoc vario modo (prout in anteceſſis jam monui) jam plus minus coagulando & ſtagnando, unde totalis vel partialis tubuli obſtructio & circulationis impedimentum, hinc fermentatio vel putrefactio & forſan vermes (nam omnem vermium generarionem ab ovo deducere velle adhuc dubia res eſt) atque tandem morbus vel mors: jam erodendo, unde humoris extravaſatio, atque ſtagnatio, hinc denuò morbus: jam incraſſando, hinc concretio & digeſtio in ſcirrhum vel tartara varia, & per conſequens iterùm morbus. Hæc vero eveniunt vel in itinere chyli vel in ſanguine, vel in officina bilis, vel urinæ, vel ſpirituum &c, & hinc morbus diverſorum phœnomenorum.

12. Phœnomena autem diverſa eſſe omninò debent, cum illorum cauſa vario modo conſideranda ſit, prout in antecedentibus & modò dictis demonſtravi: Medicis vocantur ſigna morborum, & diſtinguuntur in diagnoſtica, prognoſtica & anamneſtica. Sed hæc cuncta non raro admodum dubia exiſtunt, adeò ut Medicos quandoque multùm rixari videas, quale morbo nomen imponendum ſit, vel ubi de futuro morbi eventu prognoſin exhibuere, mutato eventu hominum ſe riſui exponunt, quamvis in morbis frequentioribus aliquando ſigna dentur certiora, ſed hæc non addiſcuntur, niſi ab illis, qui multa praxi experientiæ filii facti ſunt: neque Autoribus facilè fides habenda eſt, cum levis admodum cauſa inopina-

tò

tò totam morbi faciem mutare poſſit. Optimum autem eſt, ut attendas ad appetitum, ſalivam, reſpirationem, alvi excretionem, tranſpirationem, urinam, ſpiritus animales, pulſum, animi pathemata, ſenſuum exercitium & venerem; hæc verò cuncta conferenda ſunt cum ſtatu hominis ſani, à quo quantò plus vel in exceſſu, vel in defectu recedunt, tantò gravior morbus: his accedunt experimenta, argumentum à juvantibus & nocentibus, querelæ ægrotantium, bonumque ægrotantis examen. His ita penſitatis, & phœnomenis ſpeciatim & collectim conſideratis, hypotheſis formatur, quæ, ſi ſufficiens ſit ad explicanda morbi phœnomena, itur ad curationem & conjecturationem de morbi eventu, ſed de hac dici poteſt nihil, niſi poſito certo quodam morbo, & præterea prognoſis valdè dubia eſt, adeò enim mutabiles exiſtunt morbi, ut quandoque videas jamjam moriturum ægrum unius vel alterius horulæ ſpatio præter omnium ſpem reviviſcere, vel quandoque ab orco quaſi revocatum ſubitò exſpirare.

Verùm forſan æquus Lector potius à me expectaret applicationem hactenus dictorum ad certos quoſdam morbos, quam quidem ulteriorem explicationem, imò poſſem ſi vellem vel ventriculi vel inteſtinorum vel hepatis morbos facili negotio ſecundum vulgaria phœnomena explicare, niſi olim jam tùm Diſputationem de podagra exhibuiſſem, ad quam Benevolum Lectorem, ſi ita lubet, remitto, cum ipſam juxta hic poſitas hypo-

theſes

theſes omninò compoſuerim, & præterea nemo non facilè judicabit, hoc potius Practici & majoris voluminis opus eſſe, quam quidem Diſputationis, in qua componenda nunc operam navo. Hic ergò pedem figo, hic metam pono ſecundi capitis de Morbo Hominis, ne tempus & ſpatium cæteris adhuc dicendis ſubducatur.

CAPUT III.
DE
MORBI CURATIONE.

Duo ſunt ſcitu ad praxin exercendam digniſſima & admodum neceſſaria: Medicamentorum ſcilicet præparatio & circumſpecta applicatio: illa vulgò diſtinguitur in Galenicam & Chymicam, quarum quævis ſua utilitate & neceſſitate non caret, quamvis ea de re non raro inter Medicos acerbè diſceptetur: nihil enim confert ad ægrotantis ſalutem, an medicamentum tuum ſit Galenicum, an verò Chymicum.

§. 1. Majoris autem indaginis & artificii res eſt ex tanta remediorum multitudine, quæ per aliquot tempora in exceſſivum numerum excrevit, & adhuc dum creſcit, optima & neceſſaria quæque ſeligere: in eo jam allaboravere egregii viri, inter quos Zwolfferus, Ludovicus, & Feliciſſimus ille

Practicus

Practicus Ettmüllerus in Commentario ſuo in Ludovicum. Dixeram olim in Corollario ad Diſſputationem meam de Podagra, vomitoria, purgantia, ſudorifera & diuretica propemodum omnem medicamentorum numerum abſolvere: hæc nunc data occaſione paulo altius rimari juvat, quem in finem juxta methodum in capite primo traditam cuique corporis officinæ ſuum dabitur pharmacum, vel quantus diverſorum liquorum in machina hominis numerus extiterit, tantus etiam erit remediorum: in quo certè Dei benevolentiam erga hominem agnoſcimus, & in honorem Venerandæ Antiquitatis dicimus, illiſque grates offerimus, quod illorum experimentis edocti jam vero verius novimus, vomitum excitare tartarum emeticum, infuſum vitri antimonii, purgare rhabarbarum, Mercurium dulcem, reſinam gialappæ, ſudorem movere ſalia volatilia, ſalſa urinam, ut & terebinthinata, juniperata &c: Hujus autem generis permulta & innumerabilia tot retrò annorum experientia tradidit, quæ vel nunquam ſive vetus, ſive nova Philoſophia detegere potuiſſet, quamvis manum porrigente Chymia rationem forſan & operandi modum facilius deregetet. Quantum vero ad me pertinet, diſtinctos hos remediorum effectus certæ ſalium diſpoſitioni tantummodo tribuendos autumo, hinc à nullo medicamento unquam ſperanda eſt vel diaphoreſis, vel diureſis, niſi ſal ſive volatile, ſive ſalſum ipſi inhæſerit. De purgantibus manifeſtum exemplum eſt in Mercurio, qui, ſi

vivus

vivus fuerit, in æternum non purgabit, quantocyus verò per ſalia in pulverem redactus fuerit, ut patet in Mercurio dulci, mox ad purgandum diſpoſitio obſervatur. Sic in infuſo vitri antimonii cryſtallulos oculus microcoſpio armatus detexit, nam omninò fictitium hoc eſt, vitri antimonii vim emeticam nunquam imminui, de quo vide Perdocti Bohnii Diſſert. 5. §. 7.

2. Ut autem ordinata magis & commoda ſit remediorum ſelectio, pro ventriculo aſſervetur vomitorium, pro inteſtinis purgans, pro tranſſpiratione diaphoreticum ſeu ſudoriferum; pro renibus & ipſis annexis diuretica, pro bile amara, pro ſucco Pancreatico ſalſa; Salivæ ut & lymphaticis propria ſit ſalivatio, ſanguini menſtruo menſes moventia, nervis ac ſpiritibus animalibus volatilia, ſuaveolentia & anodyna, oculo collyria, naribus errhina atque ſuffitus, ori ac dentibus dentifricia, corporis ſuperficiei balneā; Semini autem ac lacti diæta bona conveniens eſt, neque etiam illorum abſentia morbum inferre ſolet. Verùm cum morbus non ſemper in hac vel illa corporis parte hæreat, ſed ſæpius per totam machinam diſpergatur, ut, in affectibus chronicis, lue venereâ, ſcorbuto &c. medicamenta quoque generalia & totam maſſam ſanguineam reſpicientia ſeligenda ſunt, quo nomine veniunt temperantia five abſorbentia, involventia, lenientia & emollientia, qualia ſunt viſcoſa, oleoſa, balſamica & aquoſa, evehentia per quæcunque corporis emunctoria,

ctoria, qualia ſunt mixta inter ſe purgantia cum vomitoriis, ſudorifera cum purgantibus, vel diuretica cum ſudoriferis; Ultimò adſtringentia & incidentia, qualia ſunt omnia ſalia per ſe, atque hæc ſufficere poſſunt quoad numerum medicamentorum.

3. Ut autem ægrotantium appetitui ſatisfacere queat Medicus, varia fit remediorum compoſitio, ſic vel hauſtus vel electuarium, bolus, pilulæ vel pulveres conficiuntur, quibus multa adhuc paſſim adduntur ab Autoribus, ſed reipſa hæc exceptis remediis externis ſufficere poſſunt.

4. Medicamentorum ergò hactenus enarratorum præparatio nunc ſubjungenda venit, quæ præſupponit Chymiæ quandam notitiam: hæc autem tanti momenti exiſtit, ut illam ſicco pede præterire non liceat. Eſt ergò Chymia nonniſi præparatio medicamentorum per ignem quemcunque, ſive foci, ſive ſolis, ſive fimi &c. Diſtinguitur illa in varias operationes, quæ Chymici ſuis terminis & ſignis exprimunt, & à Schrodero in Pharmacia ſua exhibentur: Sæpius tamen gradu tantùm differunt, ut ſunt digeſtiones & deſtillationes per fimum, vaporem, balneum, ſive aquam, limaturam Martis, arenam, ignem apertum & fuſorium: cæteræ operationes enim magis ad Pharmaciam ſpectant, & vix viſu obſervantnr, quin ſimul addiſcantur.

5. Has autem operationes partim abſque, partim, & quidem plurimas & primarias mediantibus furnis parant; Eum in finem multi excogitati fuere

furni

furni portatiles & non portatiles, jam ex cupreis jam ferreis laminis confecti, modò penſiles, modò ſtabiles, quadrati & rotundi: quidam abſque furnis ſua ſibi remedia præparare ſatagunt, quod, licet non ſit impoſſibile, ſuo tamen commodo in multis deſtituitur. Hinc ego quoque operam dedi, ut furnum excogitarem, ad omnem Chymiæ ſcopum deſtinatum, cujus & typum & deſcriptionem Lectori benevolo hic ſiſtere non gravabor.

EXPLICATIO FIGURARUM.

TAB. I.

FIG. I.

Eſt furnus fuſorius, globoſus, ex cupreis laminis confectus.

aa. *Os ejus ſuperius, per quod carbones ceſpites &c. ingeruntur, & crucibulum imponitur, eximiturque.*

b. *Operculum, quo os aa clauditur, & recluditur.*

cc. *Fumarium, quod auferri poteſt, ſi per retortam igne aperto deſtillare velis: intus margine cinctum eſt, ut firmiter inhærere poſſit, exteriùs ex utroque latere uncis munitum, ne hinc inde vacillare poſſit.*

ddddd. *Furni fuſorii hemiſphæria duo quæ à ſe invicem ſeparari poſſunt, ſi alios labores peragere animus ſit. Hæc hemiſphæria quoad partem concavam circumcirca globulis luſoriis fictilibus majoribus*

joribus munita ſunt, ob reflexionem effluviorum ignis, eamque ob cauſam totus furnus globoſus factus eſt: verùm globuli iſti ignem quidem ferunt, ſed non fuſorium quemadmodum expertus ego ſum: poſſunt ergò alii confici ex arena crucibulorum, laterum &c. vel ex ferro, ſi furni exceſſivum pondus non abhorreas.

ee. *Oſtiolum foci, per quod ignis ſtruitur in deſtillationibus (vid. Tab. 2.)*

ff. *Cinerarium ex cupro luteo confectum, quod, quanto longiùs eſt, tanto fortius ignis ventilatur. Olla ſuppoſita cineres recipit.*

FIG. II.

Fumarium loco remotum, ut ſpeciatim videri poſſit.

FIG. III.

Canalis longus ferreus, ſive cupreus, qui exterius luto obducendus eſt, & in cavum ſuum recipit fumarium cc. Fig. I.

Hic canalis brevis propter denegatum ſpatium depictus, ſi in multam longitudinem excurrat, incredibile eſt, quantum ignis furorem adaugere poſſit; hoc tamen notando, quod juncturæ, ſi quæ ſint, probè luto ſint muniendæ.

FIG. IV.

Furni hemiſphærium inferius cum ſuis fulcris, cinerario, & cinerum receptaculo.

aa. *Oſtiolum*

aa. *Oſtiolum foci recluſum , ut craticula concava conſpici poßit.*

Fig. V.

Superius hemiſphærium ſeparatim exhibet ſublato ſimul fumario.

Fig. VI.

Craticula concava extra furnum ſeparatim poſita , in ejus medio a foramen rotundum conſpicitur , ex quo

b. *Ferramentum excurrit infra craticulam , cui in extremitate.*

c. *Annectitur circulus ferreus ad recipiendam cochleam figuræ ſequentis.*

Fig. VII.

Receptaculum & ſuſtentaculum crucibuli , quod mediante cochleâ foraminulo a figuræ ſextæ trajicitur , & modo elevari modò demitti poteſt.

TAB. II.

Fig. I.

Exhibet deſtillationem per balneum maris , ſive aquam bullientem , cui arena , vel cineres , vel ferri ſcobs ſubſtitui poſſunt.

aaaa. *Annulus ex orichalco confectus , qui furni hemiſphario ſuper imponitur , & excipit.*

bbb. *Hemiſphærium ſive cacabum aqua vel arena repletum, cui*

cc. *Retorta immergitur, vel cucurbita juxta placitum.*

Fig. II.

Ob oculos ponit hemiſphærium ſuperius cum retorta, ſeparatum & ſublevatum ut commode conſpici poßint.

aa. *Annuli, quibus trajicitur.*

b. *Filamentum ad ligandam retortam, ne, dum per aquam bullieutem fit diſtillatio, illa quaquaverſum volutari poſsit, quem in finem alii annulo plumbeo utuntur.*

Fig. III.

Exprimit veſicam, ubi

aa. *Alembicum.*

bb. *Roſtrum ejus recurvum, ut vapores cohiberi & guttatim decidere queant, denotant.*

ccc. *Canalis ex ſuperiori alembici parte excurrens ad fundum propemodum veſicæ, eum in finem ita fabrefactus, ut ſemper recens aqua deſtillando ſpeciebus affundi queat, ne facilè empyreuma redoleant: ſuperius operculo nullo clauditur, quouſque enim extremitas hujus canalis aquæ ſubmerſa eſt, ne hilum quidem ſpirituum per hoc oſtiolum expirare poteſt; quod ſi vero expirent vapores quidam, ſignum erit affundendæ aquæ recentis, vel peractæ deſtillationis.*

dd. Eſt

dd. *Eſt veſica, quæ excipitur ab annulo* aaaa. *figuræ primæ.*

Fig. IV.

Eſt vas refrigeraterium ſine aqua & ſerpentina, ut loquuntur, ejus.

aaa. *Tubus excipit roſtrum recurvum* bb. *figuræ tertiæ, & excurrit ferè ad fundum vaſis, quem tamen non attingit, ut locus concedatur vaporibus ruentibus in cavitatem dolii ita tamen, ut poſt exiguum deſtillationis ipſe tubus deſtillatis liquoribus immergatur, quo ipſo tantò citius vapores condenſantur.*

b. *Epiſtomium eſt, per quod deſtillatis liquoribus exitus paratur.*

6. Verùm ut ſimplicem tantùm deſtillationem abſque furno feſtinanter & pauco carbone inſtituere poſſim: confici mihi curavi cantharum ex lamina ferrea ſtanno obducta, quales vulgò videntur in Coffepoliis: huic autem cantharo ſuper craticulam poſito ſuperimpoſui alembicum vitreum, juncturis lutatis & igne ſubſtrato deſtillationem facillimam perfeci, notando ſaltem, quod cuncta in ejuſmodi vaſe deſtillanda humida ſint, & ne omne humidum deſtillando è cantharo eliciatur, hic enim ignem ſine contento interius humido non ferens, mox quoad juncturas dehiſceret. Vid. Fig. V. Tab· II.

7. Præter hanc alia quoque uſus ſum deſtillatione, videram enim quoſdam liquores calidè ſibi

invicem commixtos planè alia edere phœnomena, quam ſi iidem frigidi confunderentur: hinc ad modum jam tum enarratum cantharo uſus ſum, ſed pariete intergerino diſtincto, adeò, ut liquores ſibi invicem commiſceri non poſſent, ſuperimpoſui alembicum: & diſtinctos in cantharo liquores, in alembico mixtos ſub forma vaporis, vaſe recipiente appoſito excepi: verùm temporis anguſtia non conceſſit, ut experimenta hac deſtillatione inſtituere potuerim, quin & multò commodior foret hæc deſtillatio per retortam vel cucurbitam vitream duplicatam, ſive pariete interſtinctam, quales facili negotio à vitrariis confici, imò in plura adhuc loculamenta diſtingui poſſent, juxta intentionem Chymiſtæ: nam vaſa ex metallo confecta non æquè omnibus rebus deſtillandis conveniunt.

8. Uſitata & vulgaris eſt deſtillatio, quæ fit ad latus, id eſt, per retortam, nam, quæ fit per alembicum, dicitur deſtillatio per aſcenſum, cui oppoſita eſt vix uſitata per deſcenſum: curioſior ego aliquando ab his planè diverſam tentavi: cogitaveram enim mecum diverſos deſtillationum modos non alium ſcopum poſſidere, quam quod alia eſſet celerior, alia tardior deſtillatio, & quod inde ſequitur, quod una præ altera magis vel minus empyreuma redoleret: cœpi quoque reminiſci, quod ſubſtructus vaſi deſtillatorio ignis non poſſet non ſimul cum fluidioribus etiam graviores moleculas propellere, imò tenaciores conſcindere

re

re & verſus recipiens movere: hinc cucurrit in mentem meam deſtillatio aquæ pluviæ, quæ fit in macrocoſmo, ubi deſtillandum ſubjectum inferiorem partem obtinet, ignis verò ſive ſol ſuperiorem. Eum in finem collocavi erectam cucurbitam in arena, alembicum, luto benè munitum ſuperimpoſui, hinc focum, ſupra alembicum exſtruxi, ita tamen, ut bona alembici pars ultra focum emineret, juncturis luto munitis ignem ſatis ſtrenuum adhibui, prodiit inde liquor per alembicum lento admodum gradu, juncturam enim ita munire non potui, quin bona pars vaporis trajiceret, ut autem huic malo ſuccurrerem, retortam eadem merhodo, qua antea cucurbitam cum alembico collocaveram, repoſui: retortæ aquam ſimplicem infuderam, & ſuperſtructo igne ceſpitum ſatis feliciter hæc ceſſit deſtillatio, quamvis lentius procedat, quam quæ per arenam, celerius verò illa, quæ fit per balneum: &, quod mireris, cum ſuperior retortæ pars planè ignita fuerit inferiorem tamen admota manu ne quidem tepidam experiebar. Deſtillationis hujus uſum nondum examinavi, commodiori occaſioni vel alterius induſtriæ illam relinquens.

9. Circulatio Chimicis in uſu quoque eſt, ſed revera non eſt niſi repetita deſtillatio; olim magni operatio hæc habita fuit, ſed poſtquam ſimplici & lenta deſtillatione eundem ſcopum obtinuerunt Artiſtæ, hoc tempore non magni habetur: ſed ſi rem paulò attentius inſpicere velis, non adeò floc-

ci eſt pendenda; etenim, cum per digeſtionem, quæ propemodum eadem eſt cum circulatione vel repetita deſtillatione, ſubjecta copora non poſſint non plus minus inteſtino motu gaudere, neceſſaria etiam hinc ſequetur ſubjectorum qualiſcunque mutatio, quæ varia eſt juxta circumſtantias: alium enim effectum obtinebis, ſi igne fuſorio digeras, quod quandoque fit in furnis vitrariorum; alium, ſi per arenam, balneum, vaporem, fimum, ſolem &c. atque adeò operatio hæc non eſt eliminanda. His autem placet & meam digerendi methodum à nemine traditam, neque à me hactenus intimius examinatam annectere: ſcilicet cucurbitæ vitreæ vel cantharo, ex laminis ferreis, vel cupreis ſtanno obductis fabrefacto, ſuperimpono alembicum, cujus tubus non, (uti conſuevit in vulgaribus) ad latus ſit adaptatus, ſed in ſuperiori alembi parte emineat, atque hinc denuò reflexus, trajiciat alembici ſuperiora ad fundum uſque cucurbitæ vel canthari excurrens, ut, quoties propellatur contentus in cantharo liquor verſus ſuperiora, ad eundem, unde protruſus erat, locum, per tubum recurvum redeat: quod, ut abſque minori jactura peragatur, juncturæ canthari & alembici ſolidura agglutinari ſibi invicem poſſunt, & ſic vel per fimum, vel arenam &c. operatio inſtitui poteſt, prout ſuperius jam memini; ſin verò ſubſtrato igne carbonum mediante hoc inſtrumento digere velis, conſultius eſt, alembicum margine cinctum, adhibere, ut frigida affundi queat ad refri-

refrigerandos aſcendentes vapores. Videatur Tab. II. Fig. VI.

10. Ulteriùs hoc loco quod dicam de operationibus, non habeo, cætera enim, quæ hic forſan omiſſa, minoris ſunt ponderis, & apud omnes ferè Chymicos Autores extant; quos huc tranſcribere non placuit. Redeo ergò, quo ſuperius cœperam, ad ipſam medicamentorum præparationem. Sunt autem illa partim generalia, quæ totam hominis machinam, vel maſſam humorum reſpiciunt, ut ſalia cujuſcunque nominis, aquoſa, viſcoſa, oleoſa, balſamica, terreſtria: partim ſpecialia, vel quæ reſpectum habent ad certas in humano corpore officinas, vel humores, & ſunt vomitorium, purgans, ſudoriferum, diureticum, ſalivans, menſes movens, opiatum.

DE SALE.

Sal eſt corpus rigidum conſtantium pororum, angulare, ſcindens & pungens, quod raro obſervatur, quin mixtum ſit aquoſis vel terreſtribus vel metallicis corporibus, habens ſe ad modum vitri pulveriſati, vel exiguorum fragmentorum glaciei, quæ aquis hyberno tempore innatarit; quod ſi plus minus pulveriſatum ſit, volatile vel fixum creditur: ob adhærentem terram alcalinum dicitur, vel particulis metallicis untium, varia nomina ſortirur, ut ſunt vitriola, & ſalia cætera in ſtirias vel cubicas figuras concreta. Per ſe quoad ſubſtantiam ſuam conſideratum unicum tantum in rerum natura ex-

ſiſtere mihi creditur, adeò, ut propemodum auſim effari, unum ſaltem eſſe ſal, hinc unam tantum morbi cauſam, unicamque morbi (ſuo reſpectu) curationem: adeò, ut omne propemodum medicamentum hunc ſcopum involvere videatur, ut ſal vel ejiciatur extra corpus, vel involvatur, vel temperetur, vel præcipitetur &c.

Tota Chymia, Alchymia, Pharmacia, Fuſoria huic ſubjecto tot ſui effectus debent, ut abſque ſale nihil perficere queat Artiſta; hinc ſalia artis rectores dicuntur, & ſunt quaſi totidem naturæ (ſi qua eſt) inſtrumenta ad perficienda illa, quæ hominem ſtupore induere poſſunt. In re & praxi Medica uſu veniunt *ſal acidum, alcali volatile, alcali fixum, alcali volatile ſalſum, alcali fixum ſalſum, acidum adſtringens, acidum amarum, acidum dulce.*

SAL ACIDUM.

℞. Pomorum Citri matur. q. p. corticem à medulla ſepara, ſuccum ex medulla mediante preſſione emanantem collige, inque vitrum infunde, cui ſupra fundum ad digiti unius vel alterius latitudinem epiſtomium infertum ſit, ne, quoties in uſum vocandus ſit ſuccus, amurca ſimul effluat, vel commoto vitro conturbetur liquor: hunc ſuccum, ſi ita viſum fuerit, evaporare licet ſuper ignem in olla munda ad conſiſtentiam extracti: quod ſi verò empyreuma, quod facilè metuendum, fugere velis, ollam, quæ ſuccum continet, in latiorem, cui aqua ſit infuſa, immerge, ut ſic quaſi in Mariæ

balneo

balneo extractum obtineas optimi uſus. Præter hoc acidum permulta alia dantur, ut acida mineralia, aceta & fructus acidi vel acidiuſculi; ſed præ omnibus acidum pomorum Citri mihi maximè arridet, utpote quod in ſole diuturna digeſtione & circulatione, dum ponum matureſceret, elaboratum eſt: hinc præ aliis acidis hoc mihi maximè conſtans & corpori noſtro congruum videtur, mimeralia enim acida ſemper metallici quicquam poſſident, à quo vel planè non, vel ſaltem difficillimè ſeparantur; aceta verò juſto acriora ſunt, & ſpeciem ferè habent ſalium corroſivorum; hinc ad adſumto aceto labia magis excoriata videas, quam quidem à ſucco Citri.

Uſus in forma hauſtus eſt cum aqua pluvia & mellis deſpumati exiguo: in formâ pilulari ex ſimplici extracto fiant pilulæ adſpergendæ pulvere cinamomi. Conducit maximè in primis viis, concoctione debili, aut quando viſcida incidenda ſunt, quod ſæpe evenit, quando ſcil. ab acidis acrioribus coagulantur liquores, & in craſſum limum abeunt, ut fit in catarrhis & aſthmate à limoſitate ventriculi ortum ducente &c.

ALCALI VOLATILE.

℞. C. C. vel cran. hum. ungul. animal. q. p. diſſecentur mediante ſerra in minutiora fruſta, quæ conjiciantur in retortam terream, in furnum fuſorium reponendam, ita, ut collum retortæ promineat per oſtiolum, ubi ſitum eſt fumarium (hoc

enim

enim in hac operatione auferri debet) ſubſtrato dein igne ſucceſſivè aucto deſtilla, & adhærebit ad latera recipientis (ſal volatile inſtar nivis, fundum petente ſpiritu & oleo fœtido. Hoc ſal volatile fere nunquam eomodo, quo prima vice deſtillatum eſt, in uſum vocatur: hinc rectificatur, quæ rectificatio tamen propriè non eſt, niſi elegantior ſeparatio ſal ſpiritus & olei: fit autem rectificatio per cucurbitam vitream cum alembico ſuo in arenam repoſitam; hinc leni admodnm ignis gradu ſal volatile lateribus alembici adhæreſcit, colligendum & uſui ſervandum. Sunt autem, qui in hac rectificatione ſpiritum vini addunt, & hinc obtinent ſal non æquè volatile, neque adeò empyreuma redolens, quam quod per ſe rectificatum ſit: verùm hoc modo ſal volatile ſalſum magis evadit, cum in ſpiritu vini non parum acidi deliteſcat, ut & in omnibus fermentatis. Melior autem operatio eſt ſalva manente vi ſalis volatilis, ſi caput mortuum deſtillati C. C. planè ad albedinem calcinatum, vel quicunque cineres poroſi ſpiritui, oleo fœtido & ſali volatili admiſceantur, & lenta fiat deſtillatio, ita enim candidum & minus empyreumaticum ſal volatile obtinetur.

Alia methodus.

℞. Ollam ferream majorem, ſuperimpone huic alembicum ferreum, è quo ad utrumque latus canalis emergat, cui cucurbitæ duæ apponendæ, quarum altera ſurſum erecta ſit pro recipiendo

do ſale volatili; altera ab infra applicata ſit pro recipiendis exſtillantibus ſpiritu & oleo: alembicus autem à ſuperiore ſui parte oſtiolum habeat cum operculo ſuo accuratè quadrans ad auferendum cochleari ferreo caput mortuum, & pro injectione recentis C. C. atque ita de die permultum ſalis volatilis parari poteſt, eratque hæc deſtillandi methodus Doctiſſimi p. m. Bontekoe, cui hoc ſal in creberrimo uſu fuit: Conferantur etiam Glauberi libri furn. Verùm, cui tantus apparatus non placuerit, injectum C. C. in retortam vitream per arenam deſtillare poterit, & æquè bonum obtinebit ſal volatile.

Aliud Sal volatile.

℞. Sal. Ammon. ℔j. ciner. clavell. ℔iv. pulveriſentur, & miſceantur optimè, conjiciantur in retortam vitram, aquæ pluviæ affundantur pintæ duæ, ſtent per noctem in loco humidiore, dein fiat deſtillatio per arenam igne ſucceſſivo, & obtinebis ſal volatile candidum & penetrans. Sunt quoque, qui ſpiritum C. C. probè rectificatum per aliquod tempus reponunt, & hinc creſcentes in ipſo cryſtallos colligunt, locoque optimi & pretioſiſſimi ſalis volatilis habent, forſan non ſine pondere & ratione.

Uſus & vires. Conſuevere hactenus hoc ſal volatile in vino Gallico adſumere, verum cum vinum ob acidas ſuas particulas ſal volatile enervet & præcipitet, non ſatis conveniens hoc erit

vehi-

vehiculum ſalium volatilium: Ridiculum enim eſt, cum intentio & ſcopus maximè ad vim ſalis volatilis collimet, hoc primò ligare & præcipitare, antequam adſumatur; etenim, ſi ſalſum optares ſal commodius foret, crudum ſal ammoniacum exhibere, quod magis ad illum ſcopum faceret. Mallem ergò ſalia illa volatilia in vino pinguiore exhiberi, ut ſunt integra, & non adulterata Hiſpanica, malvatica &c. vel cereviſiæ oleoſæ, ut Brunſuicenſis & huic ſimiles, vel ſalis volatilis quantum placet conjiciatur in vini albi Gallici pintas aliquot, atque hoc vinum ita præcipitatum reponatur, quò eo, loco vini Hiſpanici in aſſumendo ſale volatili uti poſſis. Quoties autem ſal volatile cum fermentato liquore propinandum, è veſtigio exhauriatur, antequam præcipitari poſſit. Per ſe conſideratum non eſt propriè loquendo niſi ſudoriferum, etenim hoc experientia teſtatur, &, ſi gravius hoc foret, per diureſin potius aquas pelleret. Conducit in omnibus nervorum affectibus, ita tamen, ut ratione circumſtantiarum modò in pauca & frequenti doſi, modo in magna & tarda exhibendum ſit; lentam & ſufflaminatam circulationem promovet, obſtructiones reſerat, niſi fuerint nimis pertinaces: ſic in pleuritide, (ſi ſatis validum ſit) obſtructionem & per conſequens morbum tollit; ſi verò exhibitum fuerit ſal volatile & obſtructio non reſeretur, morbus augetur. Ubi tota maſſa ſanguinea quaſi purganda ſit, poſt adſumtum ſal volatile ſuaderem ingreſſum balnei,

bal-

balnei, ſive vaporoſi, ſive humidi, ſive per flammam ſpiritus vini parati &c. Doſis eſt à ℈j. ad ʒj, imò majorem quantitatem non ſemel adſumſi, atque aliis exhibui, alterationem enim valdè notabilem præter incaleſcentiam, corpori non infert. Infanti ſi exhibendum ſit; mater lactans hoc ſal adſumat oportet.

ALCALI FIXUM.

℞. Tartari, vel vegetabilis cujuſdam cineres probè combuſtos, his ſuperfunde aquam tepidam ad eminentiam, quieſcat maſſa per aliquot horas, fiat lixivium, quod per inclinationem effundatur, coletur, & evaporetur in vaſe vitreo, vel fictili vel ferreo, & habebis ſal album, dictum alcali fixum; quod ſi hoc in formâ fluida exoptas, denuò ſolvi poteſt in aqua pluvia: verum, cum ita ſemper ſedimentum aliquod fundum petat, com modius hoc ſal aëri exponitur, ut ita liquefiat, hinc filtratur per chartam, & uſui ſervatur limpidum & clarum abſque ſedimento.

Aliud.

℞. Nitri, Tartari albi ana, contuſa & mixta conjiciantur in crucibulum ſuper ignem poſitum, ſuperius pruna admoveatur, & conflagrata maſſa obtinebis ſal album fixum, dum calet è crucibulo ſpatula ferrea eximendum, & adſervandum in vaſe benè clauſo, ne aëri expoſitum liquefiat citra intentionem tuam.

Aliud.

℞. Nitri q. p. liquefiat in crucibulo, liquefacto carbonum fruſtula pedetentim injice, donec flamma & fluor nitri pereant, hinc ſpatula ſal luteo-viride exime, pulveriſatum & liquefactum in aëre, adſerva liquorem dictum Alcaheſt. Si loco carbonum ſulphur fluenti nitro injeceris ſal evadit magis album & pellucidum, quod, dum fluit, in rotulas fundi poteſt, hauſtum ſcilicet fiſtula tabacali munda & effuſum ſuper laminam ferream politam: donec refrigeratum ſit.

Aliud.

℞. Ciner. clavell. q. p. pulveriſentur, liquefiant in aëre, filtrentur, evaporentur, & habebis ſal alcali fixum minimi pretii, ejuſdem cùm ſuperioribus virtutis.

Uſus & Vires. Frequentiſſimè hoc ſal in mechanicis & Chymicis uſuvenit, in praxi autem Medica rarò per ſe exhibetur, cnm ingratiſſimi ſit ſaporis: Si mediante liquido adſumatur fundum petit, ideòque difficulter adſumitur: apprimè decoctis admiſcetur, illa enim conſervat, ne facilè fermentationem ineant: in quocunque caſu acidum manifeſtum peccat, hoc ſal cum fructu adhibetur. Hinc quandoque ad ſiſtendam nimiam ſalivationem propinatur; vulgo per diureſin effectus ſuos edere creditur, quamvis non rarò diaphoreticis admiſceatur, an cum fructu? Certe dubito, cum Autho-

Authores ejus exiguam quantitatem à ℈ß. ad ℈j. præſcribere ſoleant, adeò, ut hoc loco fallax admodum habenda ſit experientia, quemadmodum in plurimis dubia & obſcura eſſe ſolet.

ALCALI VOLATILE SALSUM.

℞. Vitrioli Martialis q. p. ſolve in aqua pluvia ſolutionem ſoli expone & præcipitabitur tractu temporis pars molecularum metallicarum, limpidam ergò ſolutionem effunde, filtra, ſpiritum ſalis ammoniaci ſucceſſive inſtilla, quouſque effervescentia perſeverarit, ſolutionem decanta, evapora, cryſtalliſationi, expone & habebis ſal alcali volatile ſalſum, quod multum convenit cum ſale ammoniaco crudo, quod ex acido & alcali volatili compoſitum eſt. Poteſt etiam ejuſmodi ſal parari ex ſucco citri, & ſpiritu ſalis ammoniaci, ſive alio ſpiritu alcalino volatili, quæ invicem evaporari poſſunt ad conſiſtentiam extracti. Præter hæc etiam quidam dantur ſpiritus, qui cum nec merè acidi nec alcalini ſint, dicuntur volatiles ſulphurei, ut ſunt ſpiritus, qui in rectificationibus, olei vitrioli, ſpiritus nitri, ſalis communis &c. in principio deſtillationis leni admodum igne proliciuntur,

Applicatio. In forma pulveris hoc ſal exhiberi poteſt, verùm ingrati ſaporis eſt, quod proprium eſt omnium ſalium: vel in forma linctus, ſcilicet cum melle deſpumato, ſed eo in caſu pulveriſatio ejus ſit ſubtiliſſima, neque per aliquod tempus reponatur, ne effervescentiam concipiat: ſolvi

quoque poteſt in aqua, poſtea edulcorari & propinari. Conducit, ubicunque ſal ſalſum in corpore deficit, quod conjectura adſequimur, quando diureſis & diaphoreſis non feliciter ſuccedunt, ubi ventriculi debilis eſt concoctio propter denegatum menſtruum ſalſum, vel, ubi fæces alvi pallidæ & duræ, quod ſignum eſt Clyſterem naturalem deficere, & bilis parùm generari. Otto Tachenius ſuo tempore hoc ſal in magno pretio habuit, neque adeò abs re; hoc enim præ ſalibus volatilibus ſingulare habet, quod corpori noſtro convenientius ſit, quia mitiori modo & pedetentim operationes ſuas edit, deinde diutius in corpore perſeverat, cum ſalia merè volatilia qua data porta ruant: hinc ſalia volatilia ſalſa circulando per corpus volatilia fiunt, volatilia verò per ſe, nimium volatilia fiunt, & ſine fructu auras petunt, unde experientiâ didicimus, tenaciores obſtructiones non raró felicius curatas fuiſſe per ſal aliquod intermedium, quam quidem per merum volatile.

ALCALI FIXUM SALSUM.

℞. Solutionis ciner. clavell. per deliq. q. p. inſtilla ſpiritum nitri, vel quodcunque aliud acidum purum per ſe, donec ſedata fuerit effervescentia, evapora, cryſtalliſa, ſicca, uſui ſerva.

Aliud.

℞. Lixivii ſaponarior. optimi, quod Belgis dicitur

dicitur **de Voorloop of de Bruyd** / ſpiritus vini rectificatiſſimi ana, miſce, aliquantulum digere, & habebis alcali fixum ſalſum in forma fluida, quibuſdam tinctura tartari abuſivè dictum.

Aliud.

℞. Salis cujuſcunque alcalici fixi q. p., ſolve per deliquium, filtra, evapora, continuò affundendo ſpiritum aceti, donec ſaturatum ſit alcali, quod obſervatur, quando vapores ſpiritum aceti redolentes aſſurgunt; evaporatum ſicca, uſui ſerva, & habebis terram foliatam tartari dictam, quæ nihil aliud eſt, niſi alcali fixum ſalſum.

Aliud.

℞. Salis Tart: fixi partem j. ſolve per deliq., crem. tart. p. ij. ſolve in aqua pluv. calore foci, ſolutioni cremoris ſalis fixi ſolutionem affunde, calidè mixta filtra, filtrata evapora, & habebis tartarum ſolubilem in quocunque liquore, qui cum ſuperioribus omninò convenit. Sunt, qui loco cremoris aceto deſtillato alcali fixum tartari ſaturare ſatagunt, verùm hoc modo non revera tartarus ſolubilis elaboratur, ſed terra foliata tartari, ut ex ſuperiori proceſſu patet.

Uſus & Vires. In quocunque liquore hoc ſal exhiberi poteſt e. g. ℞. Aq. pluv. hauſtum, edulcoretur pauco mellis deſpumati, ſalis hujus pulveriſati & ſoluti à ℈j. ad ʒj. & ultra injiciatur, propineturque loco hauſtus egregii diuretici: quem-

admodum enim ſalia volatilia per ſe reſpectum propriè habent ad ſoporoſos & nervinos affectus, ſic ſalia alcalina volatilia ſalſa tranſpirationi & ſudori promovendo ſuccurrunt; alcalina verò fixa ſalſa, utpote tantò graviora per diureſin propriè agere obſervantur; hinc ſalia hæc diuretica dicuntur, & in calculoſis affectibus uſu veniunt, atque hoc tantò potiori jure, cùm hæc ſalia eandem propemodum habeant conſtitutionem cum illo, quod in urinâ naturaliter hærere experti ſumus: eamque ob cauſam non inconſultum eſt poſt exhibitum ſal diureticum multa aquoſa propinare, vel decocta, vel infuſa, ut tantò felicius diureſis, quæ exoptabatur, ſuccedere poſſit; niſi poſito caſu, ubi magis ſiccam velles diureſin, quam humidam, talis enim quandoque dabilis eſt; quod idem quandoque in diaphoreticis uſu venit, ubi ægrotantes omni potu interdicuntur, ut ſalia hoc modo vehiculo deſtituta tantò commodius comminui poſſent, vel involvi ab oleoſis & viſcoſis.

ACIDUM ADSTRINGENS.

℞. Alum. uſti q. p. pulveriſato ſuperfunde aquam pluviam ad eminentiam quatuor digit. Digere per aliquot dies, & habebis liquorem ſtypticum, ſeu adſtringentem.

Aliud.

℞. Herbæ Thee, vel Rhabarbari toſti, vel corticum granator vel flor. roſar. rubr. gallar. bauſt.

lauſt. &c. q. p. pulveriſa exactiſſimè terendo in mortario, prout in comminutione croci fieri conſuevit: pulverem hunc alcoholiſatum cum exiguo mellis deſpumati miſce ad conſiſt. electuar.

Aliud.

℞. Herbæ Thee vulgaris q. p. fiat per infuſionem aq. ferv. extractum forte, herbam cum infuſo prælo ſubjice, fortiter exprime, expreſſum cola, colatum evapora ad conſiſt. extracti.

Uſus prioris eſt à gutt. x. ad xx. cum ſyr. cydon., vel quovis adſtringente alio: alterius doſis eſt per ſe à ſcrup. ß. ad j. Ultimum in forma pilul. exhiberi poteſt, vel conſervæ roſ. admixtum in formâ boli à ſcrup. j. ad drachm. j. In eundem ſcopum multi in uſum vocant ferruginem, ſive crocum Martis, ut & aquas chalybeatas; hæ autem præparationes non ſunt, niſi meræ Martis pulveriſationes per ſalia, atque hoc nomine quodcunque metallum per ſalia pulveriſatum adſtringentis nomine venire poteſt, ut & quæcunque corpora terreſtria, poſtquam certam cum acidis diſpoſitionem inivere, adſtringentium faciem præ ſe ferunt: hinc aluminis, utpote potentiſſimi omnium adſtringentium, anatomia demonſtrat, nonniſi ex cretacea quadam terra, & ex acido hoc ſal compoſitum eſſe. Fructus quoque omnes immaturi adſtringentes ſunt; etenim cum non ſatis ſolis digeſtionem paſſi fuerint, ſalia æquilibrium cum oleoſis, viſcoſis & aquoſis inire non poſſunt, hinc

comeſti adſtringunt, flatus & tormina excitant, & non rarò periculoſiſſimos morbos, ut ſunt inteſtinorum varii fluxus, affectus ſcorbutici, hæmorrhagiæ &c. adeò, ut mirari ſubeat, plurimos reperiri Medicos, qui omni ſtudio & opera adſtrictioni in hujuſmodi morbis incumbunt, quos tamen ab adſtringentibus ortum duxiſſe ratio, vita anteacta, morbi hiſtoria & rerum circumſtantiæ omninò ſuadebant. Quodſi autem liberiori animo ratiocinari mihi integrum & licitum foret, affirmarem, nunquam, & in æternum non in quocunque etiam morbo adſtringendum eſſe: etenim ſive coagulatus ſit humor quidam corporis, ſive aceſcat, ſive putrefiat, vel corroſus ſit tubulus &c. quid quæſo levaminis adſtrictio afferre poterit? an forſan impedit, ne fluidum per corroſum tubum effluat? forſan ſed quo ſucceſſu, cogitent atque narrent illi, qui plurimos adſtringentium uſu jugularunt. Verùm, forſan diceres (ut ſolent circa opiata & veniſectionem) adſtringendum ideò, ut tempus lucremur: Certè luctuoſum hoc lucrum eſt, unde damni plus, quam emolumenti expectandum eſt, quemadmodum experientia hactenus teſtatur, quamvis, ſi in contrarium forſan exemplum detur, non ideò tibi perſuadeas, falſam meam eſſe hypotheſin; ſunt enim, qui inter adſtringentia non rarò temperantia & abſorbentia numerant, atque exhibent, hæc autem maximè in illis caſibus convenientia ſunt, & hinc non mirum, hoc modo morbum quandoque ſanari.

ACIDVM AMARVM.

℞. Lunæ cubellatæ q. p. ſolve in ſpiritu nitri; tartiam ſolutionis partem evaporatam repone, ut concreſcant cryſtalli Lunares, quos denuò ſolve in aq. pluviâ, evapora, cryſtalliſa, cryſtallos ſicca, reliquum ſolutionis denuò evapora, & natas recenter cryſtallos exime, uſui ſerva.

Aliud.

℞. Summ. abſinth. unc. ij. aloës lotæ, myrrh. ana unc. j. ocul. cancr. unc. ß. miſce, fiat terendo alcohol, cui ſuperfunde olei tart. per deliq. drachm. ij. aq. pluv. ad emin. trium digit. ſtent in digeſtione ſolis per menſem vaſe benè clauſo, & habebis vegetabile acidum amarum non infimæ virtutis.

Uſus & Vires. Quoad primum, hoc Angeli Salæ inventum eſt, & præprimis conducit ad educendas aquas hydropicorum. Exhibetur à gr. iij. ad vi. cum vehiculo quocunque diuretico. Alterum exhiberi poteſt vel in formâ pulveris alcoholiſati, difficillimæ tamen adſumtionis, vel in forma electuarii, ſi ſcil. cum melle deſpumato miſceatur, ante uſum autem agitandum ſpatula vel rudicula, ne oculi cancri graviores fundum petant: Conducit enim & ad ſcopum facit hos ſimul adſumi propter admixtam aloëm, illa enim cum aliquantulum cauſtica ſit, temperanda venit vel oculis cancri, vel limatura Martis, vel oleo tartari per deliq. &c. ita tamen, ut non omnis purgandi vis auferatur;

namque & eum in finem amara exhibentur, ut in defectu Clyſteris naturalis, i. e. bilis, ejus vicem gerant; adeò, ut amara hæc ſtomacho inſerviant pro conciliando & excitando appetitu proſtrato, inteſtinis verò pro ſtimulo, quod, ut in plurimo caſu perquam neceſſarium, ſic turpiter & ſæpe ſæpius à Medicis negligitur. Meritò quiſquam dubitaret, an amara ex ſale acido conſtent; verùm prior proceſſus de cryſtallis Lunæ ejus manifeſtum exhibet indicium, hæ etenim, quemadmodum ex mero acido & argento componuntur, ſic omninò amaricantis ſunt ſaporis, & ſic quidem non differunt amara ab adſtringentibus, quam ſola figuratione & diſpoſitione ſalis acidi cum metallo, vel quocunque alio terreſtri corpore: Sic acrimoniam in aloë experiri licet, ſi laventur manus cum ſucco aloës expreſſo, & poſt exiguum temporis intervallum, manus tuas puſtulis defædatas obſervabis, certo indicio, etiam vegetabilibus amaris ſal acidum & acre inhærere, & hinc etiam eſt, quod plurima amaricantia ſint purgantia, vel purgantia utplurimum, ſi non ſemper, ſint amaricantia. Verùm, cùm non placeat toties eadem chorda oberrare, hic ulteriùs non differam de illis, quæ capite primo, ubi de bile ſermo eſſet, jam largius tractavi: Doctiſſimus & Judicii plenus Bontekoe hæc amara conſiderabat inſtar limæ, quæ quaſi raderet linguæ papillas, hincque amaroris ſenſum animæ præberet.

ACIDUM DULCE.

℞. Mellis virginei q. p. fac excalefiat in olla latiori ſuper ignem, ſpumam in ſuperficie natantem ſpatula aufer, deſpumatum mel trajicie per manicam Hippocr. i. e. laneum & pyramidalem ſaccum, tranſcolatum uſui ſerva.

Applicatio. Inſervit hoc acidum dulce pro edulcorandis medicamentis, prout paſſim in anteceſſis jam monui: per ſe rarò in uſum vocatur, plurimi autem Medici hujus loco ſyrupos aliaque ſaccharata in uſum vocant, & quidem frequentiſſimum, adeò, ut ſimpliciorum vix quoddam in pharmacopœis proſtet, quin hoc dulci ſale conditum ſit, verùm experienria hactenus docuit, Medico perparum laudis & ſalutis exiguum ægrotantibus inde reſultaſſe: non equidem hinc colligere volo, miracula quædam ex deſpumato melle expectanda eſſe, illud enim in tantum forſan à ſaccharatis differt, quod magis ſit oleoſum & pingue, neque tantam ſalis copiam poſſideat, quam cætera dulcia uſitata, quod colligere licet ex variis ejus præparatis, illorumque effectibus & phœnomenis. Quæ cum ita ſint, nulla ſupereſt difficultas; cur non potius mel præ omnibus illis ſaccharatis in uſum vocem, cum hoc ſufficere poſſit, omnium acidorum dulcium optimum exiſtat, & ſcopo ac intentioni Medici inſerviat.

DE AQVA.

Familiariſſimum humano generi ſubjectum eſt aqua, Carteſius in princ. Philoſ. affirmat, ejus particulas glabras & anguillarum inſtar ſupra ſe invicem repentium eſſe, quantum hactenus judicare licet, phœnomena huic hypotheſi ſatis convenientia ſunt, ut illam rejicere non poſſimus. Meo quoque judicio humida, quoad particulas ſuas ſecundum magis & minus tantum ab oleoſis differunt, in multis enim phœnomenis conveniunt, & rarò, vel forſan nunquam dabitur oleum, quod aquæ quantacunque etiam quantitate non comitetur. Omnium maximum & univerſaliſſimum hoc eſt menſtruum, ſalia enim, quæ ſe habent inſtar inſtrumenti mechanici ad fabricanda varia in macrocoſmo corpora, nihil propemodum agunt ſine hoc vehiculo, unde veterum enatum elogium: Salia non agunt, niſi ſoluta, i. e. ſalia abſque humido habent ſe inſtar enſis, manu gladiatoris carentis. Per ſe conſiderata aqua qua aqua ſimpliciſſima atque unica eſt, propter varias autem circumſtantias jam aliam virtutem ac denominationem poſſidet. Hinc eſt fontana, putealis, fluvialis, tonitrualis &c. Omnium autem optima, quia ſimpliciſſima, pluvialis eſt, præter quam ad uſum Medicum nunquam alia adhibenda jure merito foret: hæc enim cum in tantam altitudinem à radiis ſolaribus ſublevata ſit, non poteſt non

præ

præ cæteris pura & levis exiſtere, imò ipſam forte deſtillatam antecellere. Colligenda illa eſt in vaſis fictilibus vitreatis, multis unà ſub dio poſitis, ne per domuum tecta delapſa multas ſimul ſordes advehat, quod ſæpiſſimè non ſine noxa evenit: collecta autem aſſervetur in vaſis optimè clauſis.

Aliud.

℞. Salis fixi alcalini cujuſcunque bonam quantit. ſolve per deliquium, ſolutionem deſtilla, & uſui ſerva loco aquæ puriſſimæ, vel deſtilla per retortam ampliorem aquam fontanam juxta methodum, quam ſuperius annotavi, ſic in fundo retortæ remanens aquæ portio multum albi habebit ſedimenti, in ſuperficie verò notabilem obſervabis pelliculam, quæ an bona ſit aquæ depuratio experire: pretio ſaltem & labore nimio hæc operatio conſtaret, ſi non ſingularis inde virtus expectanda foret.

Uſus & Vires. Aqua per ſe rarò vel nunquam interius adhibetur, quamvis nullum ferè ſit ſubjectum, quod aqueas non obtineat particulas, ut ſunt oleoſa, viſcoſa, balſamica, ſalia &c. exceptis metallicis & terreſtribus quibuſdam: in julepis tamen atque decoctis aquoſa maximam partem præpollent, & propriè loquendo nonniſi aqua ad ſitum naturalem exſtinguendam exhiberi poteſt: exterius frequentioris eſt uſus, ut in balneis tum vaporoſis, tum humidis, de quibus

bus vide Clariſſ. Ettmüll. in Diſſert. & Sculteti Armam. Chirurg. Quod ſi verò interius adſumenda ſit, tingatur ob gratiam, floribus roſarum, & exiguo mulſi edulcoretur: ſæpius enim & in quamplurimis morbis fermentata, ut ſunt ſpiritus aduſti, vina, cereviſiæ &c. exhibere non licet. Poſt uſum ſudoriferi vel diuretici quandoque non ſine fructu propinatur pro re nata & Medici intentione.

DE VISCOSIS.

Per viſcoſa intelliguntur illa, quæ tenacioris ſunt conſiſtentiæ & aëre excitata vel quovis alio inteſtino motu in magnas abeunt bullas, videntur hæc intermediæ eſſe conſiſtentiæ inter aquoſa & oleoſa, hinc ambobus facili artificio permiſcentur; è quibus mediante ſale producta eſſe, probabile eſt, quia in plurimis phænomenis conveniunt cum viſcoſis artificialibus, v. g. ſapone, qui productum eſt ſalis, aquæ & olei. In Oeconomia animali viſcoſa locum vernicis obtinent, totamque machinam conſervant, ne à ſalibus corrodatur. In rebus pharmaceuticis & mechanicis fequentiſſimi uſus exiſtunt in uniendis liquoribus, & agglutinandis corporibus ſolidis, ut & in praxi Medica ad involvenda ſalia, ut vicem quaſi gerant gladii vagina induti.

VISCO-

VISCOSUM.

℞. Raſ. C. C. q. p. ſolvatur in aqua pluv. coquendo per aliquot horas, ſolutionem cola, colatam evapora, ſicca, uſui ſerva.

Aliud.

℞. Glutinis tralucentis optimi q. p. ſolvatur in aqua pluv. edulcoretur melle deſpumato & propinetur.

Applicatio. Exhibetur nullo habito reſpectu ætatis, ſive temporis, multa vel pauca aqua pro re nata & juxta placitum dilutum, in morbis quibuſcunque, ubi metuendum, ne ſalia in nimia copia in corpore exiſtentia tubulos corrodant, & damnum inferant ut in acri ſcorbuto, fluxibus ab humorum acredine oriundis &c.

DE OLEOSIS.

Oleoſa ſunt corpora lubrica, glabra & flexilia, habentia ſeſe inſtar frondium arborum, vel rete convoluti, conſiſtentia viſcoſis proximè accedentia, aquis tamen latiores habentia poros per ſe & ſimpliciter conſiderata, hinc illis innatant; rarò tamen vel nunquam oleum purum & à peregrinis corporibus ut ſunt aquoſis & ſalinis ſequeſtratum in rerum univerſo exiſtit: propter ramoſam conſtitutionem facilè diverſorum odorum atque ſaporum fœcunda mater exiſtit:

propte

propter glabritiem autem atque flexilitatem anguſtiis & meatibus aliorum corporum ſe inſinuat; atque illa diſſolvit. In machina hominis, eoſdem ferè effectus cum viſcoſis præſtat, muniendo nempè tubulos contra aciem ſalium, quæ intra brachia recipit. donec ſatis onuſtum, vel extra corpus vehatur, vel conſciſſum in ſpeciem aliquam vernicis vel ſaponis abeat. Ad uſus practicos & Chymicos varii generis olea aſſervantur, ut ſunt olea expreſſa, ſtillatitia, coagulata & ſoluta, quorum diverſitas maximè à vario ſale natura inhærente, vel artificio admixto dependet.

OLEVM EXPRESSVM.

℞. Amygd. dulc. excortic., vel cujuſcunque oleoſi & ſimplicis ſeminis q. p. contundatur in mortario, torreatur, toſtum ſacculis filo benè munitis includatur, præloque ſubjectum ferreo, vel ligneo oleum exprimatur dictum expreſſum.

Applicatio. Exhibetur hoc oleum, quantum fieri poteſt recenter expreſſum mixtum cum ſyrupo papaverino & ſuccurrit aſthmati, catarrhis acribus, alvi obſtructionibus, & ubicunque ſalia extricata in corpore exiſtunt, in uſum vocatur. Sunt, qui farinam ſeminum, antequam exprimatur oleum, multùm torreant ſuper ignem, ut tantò plùs olei obtineant, verùm hæc methodus planè rejicienda eſt, quoniam in

parando

parando hoc oleo expreſsè intenditur; ne ante vel poſt ſui expreſſionem multum experiatur ignem; quin & abſque omni igne parari poteſt.

OLEUM STILLATIUM.

℞. Aromatis, vel ſeminis, vel herbæ reſinoſæ q. p. contundenda contunde, adde tartari, vel ſalis comm. vel ciner. clavell Mj. aquæ ſubcalidæ affunde q. ſ. ad conſiſtentiam pultis craſſioris, digere per 24. horas, vel diutiùs, ratione ſubjecti plus minus duri; aquæ bonam quantitatem denuò affunde, & deſtilla ex veſica, ſic obtinebis aquam, ſupernatante oleo ſtillatitio, quod tritorio, vel cotoneo ſeparandum eſt.

Applicatio. Exhibentur olea ſtillatitia ad gtt. v. vel x. cum ſaccharo, quod hinc Elæoſaccharum dicitur, pulveribuſque terendo admiſcentur, magis tamẽ externi uſus ſunt, quam interni, ſcil. in emplaſtris & balſamis. Conducunt in affectibus nervinis à viſcido & coagulatione oriundis; quo in caſu cum ſalibus alcalinis volatilibus & alcohol vini unita exhibentur, dicunturque ſalia volatilia oleoſa, vel magis proprie olea ſalina volatilia, de quibus in ſequentibus largius: loco oleorum ſtillat. in uſum recipere quoque poſſumus camphoram, vel ejus oleum, quod ex Indiâ aſportatur, multis rebus accommodatius, vireſq; poſſidens præ cæteris potentiores, quamvis rarius verũ, licet cariori pretio obtineatur: probè enim examinata camphora cum oleis ſtillatitiis planè convenit, niſi quod ſicca ſit, magiſque

ſalis

ſalis obtineat, quamvis non æque corroſivi cum illo, quod oleo ſtillatitio cinamomi inhæret.

OLEUM COAGULATUM.

℞. Ciner. clavellat. q. p. ignitis & effuſis in vitro fundi latioris ſuperfunde oleun terebinthinæ ad eminent. aliquam repone in cellam per unam atque alteram diem, & ſupernatabit cuticula, quam cochleari argenteo ſublatam uſui ſerva loco ſaponis. Quod ſi verò temporis anguſtia operationem non conceſſerit, hujus loco utere ſapone veneto optimo & candido: hiſce addere potes gummata, quæ ſunt olea coagulata naturalia.

Applicatio. Oleum hoc coagulatum, ſive ipſe ſapo raro quidem adhibetur, interim tamen virium minorum non exiſtit: exterius adhibetur ad affectus dictos frigidos, interius apozematibus admiſtus multùm conducit, utpote per quam vulnerarius. Hinc quoque in hæmorrhagiis & apoſtematibus internis cum fructu adhibetur: nempe decoctis additur, in quibus dum ſolvitur, illa præſervat à fermentatione, & è contra decoctum ſaponis ingratum ſaporem obvolvit.

OLEUM SOLUTUM, S. SAL VOLATILE OLEOSUM.

℞. Spiritus vini vulgaris q.p. huic cinerum clavell. injice q. p. agitetur vitrum frequentius & ſeparabitur aqua ex ſpiritu vini ſolvendo cineres clavell. vitri fundum petens, ſpiritum vini rectificatum decante

canta, laborem repete; quouſque aqua nulla ulterius ex ſpiritu vini ſeparetur, ſpiritum rectifiatum effunde in cantharum bifidum meum (vid. p. 53.) ex oppoſito latere infundatur ſpiritus ſalis ammon. optimi ana lento gradu deſtilla, & habebis ſpiritum vini alcaliſatum volatilem, cui adde ſucceſſive olei ſtillatitii cujuſcunque, quantum digeſtione capere poſſit, & paratum erit ſal volatile oleoſum.

Applicatio. Exhibetur à ſcrup j. ad drachm. j. in aqua pluv. quam turbat & omninò lacteam reddit: exhibetur etiam quandoque in vino Gallico, verum cum eo fermentationem aggreditur, hinc vires ejus enervantur, niſi vinum primò præcipitatum ſit cum ſale quodam volatili, prout ſuperius jam monui, cum de ſale volatili dicerem. Vires ejus variæ ſunt ratione olei ſtillatitii, quod adhibetur. Maximè autem cerebri affectibus & nervinis ſuccurrit, in multis cum ſalibus volatilibus convenit, niſi quod diutius in corpore moram nectat propter oleorum ramoſitatem, eamque ob cauſam facilius intrò ſumitur, cum ſalia volatilia hac ratione tantopere vires ſuas circa fauces exerere non poſſint.

DE BALSAMICIS.

Balſamica ab oleoſis in tantum differunt, quod craſſioris ſint conſiſtentiæ, quæ dependet à majore ſalium copia, quæ in Balſamicis exiſtit, hinc gummatibus fluidiora, oleoſis verò craſſiora & viſcidiora ſunt. Duplex Balſamum in rem Medi-

cam incurrit, naturale unum, artificiale alterum; naturalia ſelectiora ſunt balſamum de Copayva & Peru, artificialia fiunt, olea inſpiſſando vel evaporando ad conſiſtentiam balſamicam, vel olea coagulata ſolvendo addendo oleum, ut eſt ſequens ſulphuris Balſamum.

OLEUM COAGULATUM SOLUTUM.

℞. Cin. clavell. part. j. contundantur optimè, & conjiciantur in vas fictile mundum, ſulphuris contuſi part. ij. fiat ſtratificatio cum cin. clavell., reponaturque olla ſuper ignem, donec ſulphur fluat, ligno agitandum, fuſum & agitatum effundatur ſuper lapidem madefactum, refrigeratum pulveriſetur, & aëri per noctem exponatur, fundatur altera vice & effundatur ſuper lapidem, pulveriſeturque, dein juxta judicium & propriam intentionem ℞. Olei nuc. jugland. vel lini, vel terebinth. q. ſ. ad ſolvendum pulverem jam deſcriptum leni calore foci per horas duas vel tres, & habebis balſamum magnarum virium: quod ſi autem oleum nimis aquoſum fuerit, prius evaporari debet, ut tantò citiùs operatio peragatur.

Applicatio. Exhibetur ad magnitudinem nucis moſchatæ in aqua ſimplici, vel vino, vel cereviſia, doſi per longum temporis iterata in affectibus Chronicis, ulceribus internis, & tubulorum eroſionibus, quibus tamen ita viſum fuerit, addere poſſunt camphoram & olea ſtillatitia pro re nata.

DE

DE TERRESTRIBUS.

Terreſtria ſunt corpora odoris & ſaporis experia diverſorum pororum, modò gravia modo levia, ſalis tamen quandoque portionem continent, adeò in terreſtrium poris latitantem, ut vix animadvertatur, neque damnum inferre poſſit, annumerantur his non rarò etiam metalla ſive limata, ſive calcinata, & ſummatim omnia, quæ ſalem acidum temperare, vel intra poros ſuos recipere valent; cum autem illorum plurima in hoc univerſo exiſtant, magnus quoque illorum numerus in materiâ Medicâ factus eſt; verùm ſufficere poſſunt illa, quæ poris majoribus vel minoribus à ſe invicem diſtincta ſunt; cum impoſſibile ſit, quod ſi acidum in machina hominis temperandum ſit, determinare, qualem hoc acrimoniæ gradum poſſideat.

TERRESTRE.

℞. Favillæ ligni cujuſque, oſſium optimè calcinat., oſſis ſepiæ, antimonii diaphor., ſive cretæ Anglic., oculor. cancr. limat. Martis, cryſtalli mont. ana q. p. auri foliati q. ſ. ad ſplendorem, pulveriſentur & aſſerventur, vel terantur in porphyrit. in ſubtiliſſ. alcohol, ex quo cum melle fiat Electuar. vel cum aqua ſimpl. ſ: edulcorata ſ. deſtillata fiat Hauſtus.

Applicatio. Quoties acidum peccat in primis viis hoc medicamenti genus adhiberi debet, vel ubi per diutinam moram maſſæ ſanguineæ acredo

major præcavenda venit, ut in morbis Chronicis, ita tamen, ut doſis exigua tantum ſit, ſed ſæpius iterata per longam moram, quem in finem, ne nauſea facilè ægrum habeat, idem medicamentum ſub diverſa formula exhiberi poteſt, & tinctum modò ebore uſto: modò croco, ſantalo &c.

VOMITORIUM.

℞. Vitri antimon. pelluc. hyacinth. ſcrup. j. affunde vini albi Gall. unc. ij., ſtent per noctem, infuſionem decanta, propina.

Aliud.

℞. Crem. tart. propria manu elaborati (ſolent enim alumen in cryſtalliſatione addere, quod extra ſcopum eſt) drachm. j. croci metall. drachm. ß. ex antim. & nitri. ana pulveriſatis, detonatis, & aqua edulcoratis, miſce exactiſſimè, & exhibe doſi iij. granorum, raro ultra, niſi fortioribus.

Aliud.

℞. Crem. tart. croc. metall. ana, conjiciantur in ollam puram, affundatur aqua pura, fiat coctio, donec cremor ſolutus ſit, ſolutionem calidam filtra, & cryſtalliſa, cryſtallos concretas exime, ſicca,

Aliud.

℞, Croci metall. drachm. j. Mercurii vitæ gr. viij., cinam. opt. ſcrup. ij. ſacchari finiſſ. unc. j, cum tragacantha ſoluta in aqua fiant rotulæ xxij.,

quarum

quarum ſingula inſervit pro doſi, vel, ſi rotularum fiant 68., tres exhibeantur pro doſi.

Aliud.

℞. Croc. metall. non edulcorati. unc. iß. ſyrupi in aqua calidâ ſoluti pint. j. fermenti cereviſ. cochl. j. expone fermentationi, fermentata probè claude, & in ſole digere, limpidum liquorem decanta; & uſui ſerva. Doſ. drachm, j. per ſe.

Applicatio. Vomitoria cuncta exigua tantum doſi exhibentur, hinc non magna difficultas oritur in illorum adſumtione, p multis abominandum medicamenti genus eſt, verùm experientia nos hactenus edocuit, quod in plurimis morbis neceſſariò, & quidem feliciſſimè adhibeantur: ita enim ſanctè teſtor, quod illa ſæpius optatiſſimo eventu, & nunquam infelici propinaverim, præprimis infuſum vitri antim., & tartarum emet: per coctionem paratum. Verùm in eo allaborandum omninò eſt, ut emetica circumſpectè adhibeamus: ſiç ſunt inter corpulentiores, quibus impoſſibile eſt vomitu quicquam rejicere, illis ergò intempeſtivè præſcribuntur: admodum infantibus & ſenibus quandoque cum periculo exhibentur, ſi virium ratio non conſtet: gravidis, & quarum menſtrua fluunt, quandoque exhibentur, quandoque non: ad propellendum partum quidam propinant, dubio tamen ſucceſſu: frequenter & in majori doſi exhibita ventriculi tonum (ut loquuntur) turbant, ita, ut leviſſimam ob cauſam, præprimis poſt paſtum, vomitus in

 promptu,

promtu ſit: aſthmaticis dubio eventu præſcribuntur: ſub uſum vomitorii lac calidum, vel carnium juſcula propinari debent: ſi quis omnem vomitorii vim experiri nolit, in lectum ſe deponat, ibi enim facilè in ſomnum incidet remittente vomitu; non licet vomitoriis experimenta capere, ſufficit enim illa in uſum vocare, quorum bonitatem eventus edocuit: tempus adſumtionis ſit matutinum jejuno ſtomacho cur enim prius comederes, quæ mox vomitu rejicienda eſſent? Quibusdam vomitoria in forma pulveris exhibita nihil efficiunt, ergo liquida propinentur: quod ſi vomitorium tardius vires ſuas exerat, ambulare per hypocauſtum juvabit, aliqualis enim hoc modo vertigo ſuboritur vomendi conatum promovens. Purgantia cum vomitoris nonnulli miſcent, verum hoc ego periculi plenum opus ſuſcipere non auderem: etenim per ſe emetica alvum laxiorem reddunt: hinc cum aliquando homini admodum robuſto, vomitorium ex drachmis xvijj. infuſionis antim. vitri propinaſſem, præter unicum vomitum alvus vel viceſies ſoluta fuit. Conducunt emetica nimia exiſtente bile, vel ubi acidum peccavit in ventriculò, vel quæcumque ingeſta ſaburra, viſcoſitates, auſtera, flatus &c.

PURGANS ARTIFICIALE.

℞, Mercur. ſublim. corroſ. partes viij. Mercur. vivi part. j. circiter, terantur, & miſceantur invicem exactè in mortario eburneo ſ. lapideo ſucceſſivè affundendo Merc. vivum, mixta conjiciantur

in

in vitrum anguſtioris orificii, reponaturque vitrum in arenam, & ſubſtrato igne graduario ſublimabitur ad latera vitri Merc. dulcis, fracto vitro eximendus, qui, ſi non ſatis dulcis ſit, ſecunda vel tertia vice ſublimari debet.

ALIUD NATURALE.

℞. Rad. jalapp. vel cujuſcunque purgantis vegetabilis reſinoſi q. p. contund. groſſo modo, conjiciatur in vitrum, ſuperfundatur ſpir. vini vulgaris ad emin. 5. vel 6. digit. digere in arena, ut fiat. Tinctura, tincturæ affunde aquæ pluv. dimidiam partem, ut lacteſcat, dein ſpiritum vini deſtillando abſtrahe, reſiduum è cucurbita exime, ab aqua ſepara, inque ollam oleo amygd. illitam conjice, & leniſſimo calori expone, ut ſenſim indureſcat in reſinam.

Aliud.

℞. Aloes lucidæ q. p. ſolve in aqua pluv. ſuper ignem, ſolutam cola per linteum, colatam evapora, evaporando admiſce pulveris terreſtris ſuperioris (p. 83.) q.ſ. ad conſiſtentiam pilul. Hanc maſſam in veſica ſuilla ad futuros uſus aſſerva.

Applicatio. Purgantia hæc à ſcrup. ß. ad ſcrup. j. exhiberi poſſunt, & ultra, hac tamen cum differentia, quod Merc dulci ſemper unum ex poſterioribus admiſceri debeat, per ſe enim tantum laxat. Hinc aliis tanquam ſtimulo indiget, neq; ſæpius de die in diem ejus uſus celebrandus eſt, quia facile ſali-

vationem, omnibus non æquè amicam excitare potest. Doſis ejus adſurgere poteſt ad drachm. ß. & ultra, ſi pro una doſi adhibeatur. Hinc ſunt, qui vel drachmam adſumunt nulla tamen ſuperveniente ſalivatione; hic verò cautione opus eſt, ne Merc. dulc. in forma pulveris adſumatur, ita enim minutiæ gingivis adhæreſcentes puſtulas excitarent. Quod ventriculo eſt vomitorium, inteſtinis eſt purgans. Hinc, ubicunque illorum ſaburra difficulter ſolvitur, vel alias ob cauſas ejicienda venit, propinatur horis matutinis, quandoque veſpertinis habito reſpectu ad doſin, vires, & ætatem. Poſt uſum purgantis fluida exhibentur, ne vehiculum deſit excrementis, & à frigore patiens ſibi cavere jubetur, ne refrigerata corporis ſuperficie, & hinc quantumcunque ſufflaminata circulatione difficilior ſit catharſis. Purgantibus hiſce Chymici globulorum aliquod genus addere ſolent è regulo antim. (vid. Collect. Chym. Leid. tit. de antimonio.) Non licuit mihi illorum vim hactenus experiri, methodus aliàs non planè inepta foret propter ſaporem: qui in globulis illis nullus deguſtatur, ut & in Merc. dulci.

SUDORIFERUM.

℞. Fol. card. bened. q. p. pulveriſentur exactè terendo in mortario hujus ℞. drachm. j. ſalis volat. cujuſcunque ℈ß. olei ſuccin. gtt. viij. M. & fiat c. melle deſpumato electuarium, vel bolus pro re nata.

Aliud,

Aliud.

℞. Ol. ſuccin. ſpirit. ſal. ammon. ana gtt. xx. M. pro ſudorifero.

Applicatio. Prius ſudoriferum ita per ſe exhiberi poteſt, vel dilui in aqua, ut fiat hauſtus commovendus, antequam adſumatur, poſterius ſæpiſſimè & perfeliciter exhibui cum vini albi Gallici pinta ſemi. His etiam pro varia intentione terreſtria, purgantia diuretica & ſalia diverſa ſuperius annotata admiſceri poſſunt & debent. Poſt uſum ejus mox lectum petat tegumentis benè tectus æger, vel balneum intret, ita enim pori relaxantur, & operationi medicaminis ſuccurritur, quod quandoque ſummo neceſſarium illis, quibus ſudor ob morbum, vel naturalem conſtitutionem difficulter prolicitur, vel ubi medicamentum aliquod chylo & maſſæ ſanguineæ brevi commiſceri exoptes. Ante omnia autem cavendum, ne ſudore prolecto corpus aëris injuriis exponatur cum in patulo corpore immenſum damnum inferre poſſint, quorum lugenda exempla paſſim in Autorum obſervatis reperiuntur. Conducit hoc medicamenti genus in febribus quibuſcunque, hinc aliquando in ardentibus & malignis 24 horarum ſpatio ter quaterve exhibetur, ut & in peſte, lue Venereâ, & ubicunque maſſa ſanguinea & lympha depurandæ veniunt.

DIURETICUM.

℞. Sem. cujuſcunque diuretici, v. g. petroſelini, apii, viol., vel bac. junip. q. p. pulveriſetur exactiſſimè, pulveriſato adde ſalis fixi cujuſcunque ℈j. mellis q. ſ. ad conſiſt.

Aliud.

℞. Spir. ſal. ammon. vinoſi (vid. ſupra p. 80.) q. p. adde ol. junip. quantum digiſtione capere poteſt, & habebis ſal. vol. oleoſ. diureticum. Huc quoque ſpectat ſal urinæ, i. e. ammoniacum, ſive evaperatione lenta ex urinâ paratum, ſpiritus lumbric. terreſtr. per fermentationem, Millepedum pulvis, cantharidum infuſum, tinctura vermium Majalium, de quibus vid. Collect. Leid. alioſque.

Applicatio. Fxhibentur diuretica, ubicunque ſalia graviora & aquoſa per urinæ conſuetas vias exturbare, vel ratio vel morbus ſuadet, ut in hydrope, ſcorbuto & gonorrhæa, ubi balſamicis admiſceri ſolent. Doſis prioris eſt ad magnit. nucis avellanæ, poſterioris verò à ʒß. ad ʒj. in aq. pluv., quam lacteam reddit, ſi ritè paratum ſit. Pulvis Millepedum, cantharidum, vermium majal, &c. præparata nonniſi cautè exhibenda ad certas & fixas doſes, ubi gravius purgandum eſt per diureſin, ſecus enim facilè mictio cruenta ſequitur juxta plurimorum experientiam. Cæterum ſatis tutò & indifferenter ſine ſingulari periculo exhiberi poſ-

ſunt,

ſunt; quamvis etiam aliquando vomitum nimium olei terebinth. uſum ſecutum eſſe in experto habeam.

SALIVANS.

℞. Merc. dulcis ʒß. ſuperaffunde ſpir. ſalis ammon. donec pulvis evadat niger, vel gryſeus, quem edulcora, ſicca & uſui ſerva.

Aliud.

℞. Merc. vivi ℥j agitetur cum ſ. q. axunguiæ porci, donec Merc. diſpareat, & habebis unguentum plantis pedum & articulationibus inungendum, donec ſaliva fluat.

Applicatio. Alterum horum uſui interno inſervit, alterum externo. Pro interno uſu pulvis exhibetur in formâ pilulari, ad gr. v. vj. l. vij. de die in diem continuando, donec ſalivatio ſuboriatur, quandoque citius evenit, & tunc ab ulteriori doſi abſtinendum eſt. Ante omnia autem maxima cautione opus eſt, ne fluente ſaliva corpus vento, vel frigidiori aëri exponatur, ſalivans enim hoc modo maximorum ſymptomatum, & vitæ ipſius periculum incurreret. Illis, qui admodum ſcorbutici, non facilè exhibentur, ne nimia forſan ſalivatio excitetur: frequentiſſimi tamen uſus ſunt in lue Vener. ſed tum ſimul ſingulis diebus ſudor excitatur, & decocta propinantur, id quod non immeritò in omni ſalivatione obſervari poſſet: ratione diætæ ſalivantibus fugienda ſunt cuncta fermentata,

mentatæ, & ſalia, excipe alcalina fixa. Quod ſi quis de nimia ſalivatione ſibi metuat, pulverem adſumat ex terreſtribus foliis auri & ſalibus fixis, ſi illa propter oris internas exulcerationes tolerare poſſit: in ore detinetur nummus aureus, qui, ſi albus evaſerit, ſuper carbonem ponitur, ut Mercurius abigatur, & tunc denuò porrigitur. Hæc cuncta quoque obſervanda ſunt circa ſalivationem per inunctionem, quæ, dum inſtituitur, plantæ pedum carbonum igni admoventur, ut tantò melius unguentum penetret. Moleſtiſſimum hoc medicamenti genus eſt, vix enim intra ſpatium 3 ſeptimarum tædioſa ſalivatio abſolvitur, hinc, cum & periculo non careat, imprudenter adhibita, multis ad orcum damnatur, interim tamen negare non poſſumus, nullum hactenus dari medicamentum, quod ſalia fortius extra corpus propellere poſſit hinc hac ratione deſperata non rarò lues Venerea ſanata fuit omnibus aliis incaſſum adhibitis.

UTERINUM.

℞. Artemiſiæ, ſabin., vel cujuscunque uterini q. p. teratur ſubtiliſſimè, & fiat juxta methodum ſæpius dictam cum melle electuarium, vel cum aqua ſimplici infuſum, vel hauſtus conquaſſandus antè uſum.

Aliud.

℞. Ol. ſtillat. ſabin. puleg. ana cum ſpiritu ſal. ammon.

ammon. vinoſo (p.80.) & fiat ſal vol. oleoſ. uterinum ad pellendas ſecundinas, fœtum, menſes, &c.

Applicatio. Huc ſpectant caſtoreum, borrax, artemiſia, diuretica, &c. & exhibentur, ubicunque menſtrua ob viſciditates vel obſtructiones non fluunt, vel, ubi utero quæcunque excludenda veniunt; in menſium obſtructione frequenti ſed exigua & paulatim adſurgente doſi propinantur, pro re nata autem modò ſalia alcalina fixa, modò alcalina volatilia ſimul admiſcentur, & non rarò cum fructu diuretica. Hinc ex ſuperiori diuretico (p.90.) facile parabitur uterinum, modò hoc ſal volat. uterinum, vel ol. ſabinæ, vel puleg. addideris: Salia autem adduntur, partim propter vim diureticam, quam poſſident, partim ad reſerandas obſtructiones, impetum in ſanguinem introducendum, & ad exaltandas vegetabilium vires. In pertinacibus tamen uteri obſtructionibus convenientius judico, ſi per ſyringam medicamina in cavitatem uteri injiciantur, ſi fieri poſſit, vel inſtrumenta applicentur commoda, quæ ſpiritus, vel vegetabilium fumum recipiant, inque uterum exhalare ſinant. Notandum autem, quod in menſibus pellendis feſtinanter procedere non liceat, niſi plurima incaſsùm exhibere geſtias, ſæpius enim tractu temporis felicius per ſe, quam omni illo medicamentorum apparatu prorumpunt.

OPIA-

OPIATUM.

℞. Opii q.p. ſolvatur in aq. pluv. ſuper ignem, ſolutum decantetur, decantatum denuò extrahatur, extractum evaporetur ad conſiſt. extracti, uſui ſervetur.

Aliud.

℞. Opii Thebaici ℥j. affunde ſpiritus vini vulgaris ℔ij. digere per 24 horas, filtra, donec fæces non amplius appareant, dein ℞. Cin. clavell. ℥j. Spiritus vini vulgaris ℔ij. confuſa & mixta filtra, ſolutiones ambas confunde, digere per 24 horas, & denuò filtra ad remanentiam uſque fæcum.

Aliud.

℞. Ol vitrioli recenter omninò deſtillati ℔j. vel alteram, rectificetur ex cucurbita, & ſpiritus, qui primò & leni igne prodit, ſeorſim excipiatur & adſervetur loco ſpiritus vitrioli ſulphurei.

Applicatio. Primum opiatum, quod ſub forma extracti deſcribitur, raro per ſe adhibetur, ſed pulveribus ad gr. j. atque alterum admiſcetur, & ſæpius, ubi ſudor ſimul excitandus venit v. g. ℞. Croci optimi ℈j. ſal. volat. cujuſcunque ℈ß. opii gr. j. vel ß. pulveris terreſtris ℈ß. miſce fiat pulvis, vel cum ſyrupo, vel melle deſpumato electuarium, vel c. vino è veſtigio propinando hauſtus, his quoque non rarò ſemem papav. admiſcetur, vel capi-

ta papav. errat. coquuntur in aqua pro infantibus ad conciliandum ſomnum: Vel lac quoque fit amygdalatum ex contuſo ſem. papav., amygd. ex cortic. &c. Tinctura opii, quæ hoc modo præparata Craaniana dicitur, & olim pro arcano habita eſt, exhibetur per ſe, vel in convenienti vehiculo à cochl. j. ad ij., atque hæc præ omnibus opii præparatis maximè tuta creditur. Doſ. ſpir. vitrioli ſulphurei eſt à gtt. j. ad x. in omnibus ſpirituum animalium ſufflaminationibus & turbationibus, ut epilepſiæ apoplexiæ, paralyſeos &c. quod ſi verò in nimia doſi exhibeatur, facile vomitus ſubſequitur. Circa cuncta autem Opiata cavendum eſt, ne vel frequentius, vel in nimia doſi adſumantur; frequentius enim exhibita conſuetudinem introducunt ut ſine continuato illorum uſu vix quiſquam vivere poſſit: nimia verò doſis vel alvum adſtringit, vel urinam ſupprimit, vel ſomnum lethalem efficit. Hinc cum incautè ſæpius exhibita ſint, multa inter Autores verſata lis eſt de Opiatis, & revera, ſi rem attento animo inſpicias, non poteris opio immaturitatem denegare; antequam enim planta ad maturitatem pervenerit, læditur illa, ut ſuccus immaturus ex inflicto vulnere profluat, eumque collectum vendunt, quid verò boni expectari poſſit ad immaturo ſucco tu judicabis ex effectu, ſcil. alvi adſtrictione & urinæ ſuppreſſione.&c. Mallem ergò ex ſemine opiata præparari & forſan ol. papav. recenter ex ſem. expreſſum omnium optimi foret uſus. Verùm experientia mihi deficit;

cit, convenientius ergò judicabo tacere quam pauca dicere.

CLAUSULA.

Poſſem hoc loco, imò deberem ſubnectere medicamentum aliquod Cordiale, uti loquuntur, verùm cum ex hoc genere ſat magna copia apud Autores extet, neque ullum medicamentum propriè loquendo Cordiale dici mereatur, niſi quod ipſam morbi cauſam tollat, hoc opere lubens ſuperſedere volui. Neque anſam ulterius dicendi amplecti placuit de rebus non-naturalibus, ut aëre, cibo, potu &c., de ſpeciali medicamentorum in ſingulis applicatione, de præparatione medicamentorum magis adhuc ſelecta, de nitida & ordinata eorum adſervatione, cujuſvis ingenio ac judicio hoc opus relinquens: pedem ergò meum hic figo ſi qua dicta ſunt ad placitum, placet, ſin minus, diſplicet, non laudes expecto, neque invidiam, neque calumnias, dixi bono animo bonâque fide, quæ dixi; legat vel laceret hoc, quicquid eſt theſium quicunque velit; hinc enim neque magis verum, neque falſum dixero; bonorum interim favori & judicio me ſiſto, eoque contentus vivo.

FINIS.

ARGU-

ARGUMENTUM CAP. I.

DE

HOMINE.

§. 1. *Oris ſtructura deſcribitur: Glandulæ ſunt tubi in gyros circumducti & ſalivam fundunt: Saliva conſtat ex oleoſis viscoſis & ſalſis.*

2. *Oeſophagus eſt via intermedia inter os & ventriculum: Ventriculus quomodo digerat cibos.*

3. *Inteſtina excipiunt chylum, chylo admiſcetur ſuccus pancreaticus & bilis: Pancreas eſt glandularum cumulus: Bilis eſt purgans naturale. Chylus ex inteſtinis pergit ad vaſa lactea, quæ non niſi fluida recipiunt: Valvula inteſtinalis impedit, ne fæces relabi poßint. Appendicula vermiformis valvulæ ſuccurrit, ne noxam trahat.*

4. *Meſenterium eſt Ligamentum inteſtinorum & ſuſtentaculum vaſorum lacteorum lymphaticorumque: Pancreas Aſellii lympham fundit, ut chylus diluatur.*

5. *Chylus pergit ad receptaculum commune & ductum thoracicum, hinc in venam axillarem, venam cavam, cordis auriculam dextram, ejus ventriculum dextrum, hinc cum ſanguine urgetur in arteriam pulmonalem, à valvulis impeditus ne relabatur in auriculam, redit per venam pulmonalem in ſiniſtrum ventriculum & in arteriam magnam propellitur.*

6. *Cor eſt muſculus oblongorotundus; ſalſo liquori*

innatat & in medio pectore hæret, ut ſanguinem propellere commodius poſſet. Cur cor perpetuo agitetur, explicatur. Circulationis primaria cauſa Reſpiratio eſt, cui Ventriculi concoctio ſuccurrit elaborando & ſuggerendo calidum chylum.

7. *Pulſus oritur, quia arteriæ flexiles ſunt & à latiori in anguſtius eunt.*

8. *Varii ſanguinis circuli ſive itus redituſque notabiliores indicantur.*

9. *Sanguis calet*
   1. *Quia infans calidum ſanguinem à matre accepit.*
   2. *Indumentis fovetur.*
   3. *Quotidie lac calidum haurit.*
   4. *Quæcunque ventriculo ingeruntur, moventur, hinc calent & ſanguinis calorem fovent.*
   5. *Liquores multi heterogenei à ſanguine ſeparati, ad illum denuo redeunt, unde etiam calor.*

11. *Chyli in ſanguinem mutatio eſt circulationis neceſſarium conſequens.*

11. *Humores annotantur, qui è ſanguine ſecernuntur & denuo in ejus gremium devolvuntur.*

12. *Quidam humores à ſanguine ſecernuntur, ut denuo excernantur, ut ſemen, urina, ſudor &c.*

13. *Nutritio in natu majoribus eſt fluidarum partium reſtauratio; in junioribus ſolidarum ſimul ulterior agglutinatio & expanſio: Fit mediante chylo: Nutritionis decrementum eſt ſeminis accrementum.*

14. *Hepatis officina deſcribitur, ejus veſica dum adimpletur*

adimpletur bilem fundit. Bilis ſit ex chylo per circulationem & digeſtionem.

15. *Pancreatis officina exhibetur, ejus ſuccus non eſt acidus neque inſipidus.*

16. *Pinguedo eſt ſpecies ſaponis & machinæ Balſamum.*

17. *Urina per glandulas ſecernitur: Conſtat ex aquoſis, oleoſis & ſalſis: Eſt circulationis neceſſarium conſequens & machinæ humor inutilis.*

18. *Sudor eſt ſenſilis & inſenſilis, cum urina multum convenit, excernitur per tubos diaphoreticos.*

19. *Seminis officina ſunt partes genitales: Conſtat ex oleoſis, viſcoſis & ſalſis: quod probatur. Cur in ejaculatione variæ ſit conſiſtentiæ & cur ejectum aerique expoſitum, liqueſiat.*

20. *Menſium fluxus oritur, quando corporis nutritio incipit imminui, propter ſanguinis majorem impetum circa arterias uterinas: ut & propter temporum perpetuas viciſſitudines.*

21. *Lac per mammarum glandulas ſecernitur: Albicat propter tubulorum conformationem, in quibus ſecernitur, certamque ob digeſtionem: Conſtat ex oleoſo butyro, viſcido caſeo & ſalſo ſero.*

22. *Spirituum vel ſucci nervoſi officina eſt cerebrum, & cerebellum: Spiritus ſunt ſanguinis pars ſubtilior, qui advehitur per arterias Carotides & Vertebrales: Spiritus æque in circulum feruntur ac ſanguis, illiſque cerebrum idem videtur eſſe, quod ſanguini cor.*

ARGUMENTUM CAP. II.

DE

MORBO HOMINIS.

§. 1. *Morbus eſt vel partium ſolidarum vel fluidarum, ut plurimum tamen fluidarum.*

2. *Fluida peccant gradu & ratione loci in quo hærent, vel quando incraſſantur, vel extricantur quoad ſalia, vel aceſcunt, vel putreſiunt, vel vermes fovent, vel coagulantur, vel concreſcunt in tartara varia.*

3. *Examinatur, quænam proprie cauſa primaria ſit, quæ poſſit hos morbos, eorumque phænomena producere.*

4. *Sal Acidum eſt generalis & indifferens morborum cauſa, ut & ſalſa in quantum de acido participant.*

5. *Probatur Hypotheſis experientia*

   1. Anatomica, *quia in omnibus propemodum diſſectis cadaveribus veſtigia effectuum ſalium acidorum occurunt.*

   2. Chymica *quia in omni ferè medicamentorum elaboratione ſalia oppugnantur.*

   3. Practica, *quia feliciſſimi Practici alcalinis medelas ſuas perficere allaborarunt.*

6. *Acidis quandoque morbus curatur, ſed ſæpius fortuito, & propter medicamina alcalina ut plurimum ſimul admixta.*

7. Ex Acido *morborum phænomena explicari poſſunt.*

   1. *Quia acida in corpore noſtro exiſtunt modo plus minus corroſiva, volatiliora vel fixiora,*

pauca

pauca vel multa, modo viſcoſis juncta, modo fluidis diluta, modo poroſis corporibus vel certis latibulis inhærentia.

2. *Quia homines inter ſe differunt ratione educationis, vitæ, loci natalis, animi pathematum &c.*

3. *Quia variæ in humano corpore officinæ & hinc enatili quores diverſi occurrunt, unde collocata acida in ſyſtemate nervoſo alios efficiunt morbos, quam in venis vel arteriis &c.*

8. *Confirmatur Hypotheſis, quia lues venerea, utpote morbus maxime acidus, plurimorum morborum phænomena in ſe oſtendit.*

9. *Diæta noſtra perpetuo ſalſa vel acida corpori noſtro ſuggerit, hinc proni & faciles ſumus ad morbos.*

10 *Res omnes non naturales ad acorem machinæ humanæ liquores diſponunt.*

11. *Recapitulatio dictorum breviſſima.*

12. *Phænomena vel ſigna morbi ſæpius fallunt judicium Medicis Conducit, ad illa maxime attendere, quæ occurrere ſolent circa publica machinæ noſtræ emunctoria.*

ARGUMENTUM CAP. III.
DE
MORBI CURATIONE.

§. 1. *Medicamina optima ſeligenda ſunt, præprimis quæ publica corporis emunctoria*

 recipiunt;

recipiunt: illorum diverſitas à ſalibus diverſimode admixtis dependet.

2. *Annotatur numerus maxime neceſſariorum remediorum tam in genere quam in ſpecie.*
3. *Formula Medicamentorum ſit Hauſtus, Electuarium, Bolus, Pilula vel Pulvis.*
4. *Quid ſit Chymia. Ejus operationes plurima, ſi non omnes gradu tantum differunt.*
5. *Furnus deſcribitur portatilis ad omnes operationes accommodatus.*
6. *Deſtillatio per cantharum abſque furno.*
7. *Deſtillatio per cantharum bifidum abſque furno.*
8. *Deſtillatio per aſcenſum cum & ſine alembico.*
9. *Deſtillationis per alembicum cæcum, ſive Circulationis nova methodus.*
10. *Itur ad medicamentorum præparationem, quorum numerus aſsignatur.*

De ſale. Pag. 57
Sal acidum. 58
ejus uſus. 59
Alcali volatile. ibid.
aliud. 60
aliud. 61
uſus & vires. ibid.
Alcali fixum. 63
aliud. ibid.
aliud. 64
aliud. ibid.
uſus & vires. ibid.
Alcali volatile ſalſum. 65

Appli-

Applicatio. ibid.
Alcali fixum ſalſum. 66
aliud. ibid.
aliud. 67
aliud. ibid.
uſus & vires. ibid.
Acidum adſtringens. 68
aliud. ibid.
aliud. 69
uſus. ibid.
Acidum amarum. 71
aliud. ibld.
uſus & vires. ibid.
Acidum dulce. 73
Applicatio. ibid.
De Aqua. 74
aliud. 75
uſus & vires. ibid.
De Viſcoſis. 76
Viſcoſum. 77
aliud. ibid.
Applicatio. ibid.
De Oleoſis. ibid.
Oleum Expreſſum. 78
Applicatio. ibid.
Oleum ſtillatitium. 79
Applicatio. ibid
Oleum coagulatum. 80
Applicatio. ibid.
Oleum ſolutum ſive ſal volatile oleoſum. ibid.

De

De Balſamicis.			81
Oleum coagulatum ſolutum.			82
Applicatio.			ibid.
De Terreſtribus.			83
Terreſtre.			ibid.
Applicatio.			ibid.
Vomitorium.			84
aliud.			ibid.
aliud.			ibid.
aliud.			ibid.
aliud.			ibid.
Applicatio.			ibid.
Purgans artificiale.			86
aliud naturale.			87
aliud.			ibid.
Applicatio.			ibid.
Sudoriferum.			88
aliud.			89
Applicatio.			ibid.
Diureticum.			90
aliud.			ibid.
Applicatio.			ibid.
Salivans			91
aliud.			ibid.
Applicatio.			ibid.
Uterinum.	92	aliud.	ibid.
aliud.	ibid.	aliud.	ibid.
Applicatio.	93	Applicatio.	ibid.
Opiatum.	94	Clauſula.	96

FINIS.

MEDICAL SOCIETY OF LONDON, 11, CHANDOS ST. CAVENDISH SQ. ESTAB. 1773